ALPHA-BETUM DOGMATICUM.

Per

A. R. Patrem JACOBUM WOLSKI,

Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI Reformatorum, Provinciæ in Majori Polonia Patrem, S. Theolog: Lectorem, & Prædicatorem Emeritum.

COLLECTUM.

Anno Domini 1731.

Cum permissu

SUPERIORUM.

POSNANIÆ,
Typis Academicis.

IN GENTILITIUM
STEMMA
ILLUSTRISSIMI
ANTISTITIS.



Fertur in excelſum meritis ſuper æ-
thera pennîs,
Accipiter prædas accipit iſte polo.
CRUX ornat Soleam, cur? dant ve-
ſtigia ſignum,
In CRUCE KAZNOVII gloria ſo-
la manet.

ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO, & REVERENDISSIMO
Domino Domino
FRANCISCO KAZNOWSKI,
EPISCOPO DOMITIOPOLITANO,
Suffraganeo & Officiali Generali Posnanienſi,
Archidiacono Pſcevenſi,
MECÆNATI & BENEFACTORI VISCEROSISSIMO.

P*Aſsa injuriam fidei Orthodoxæ veritas, de injuſto gravamine ad Tuum appellat Officium,* JUDEX ILLUSTRISSIME. *Meritum*

causæ non aliud est, quàm Theologia controversa; Tu Arbiter esto, discerne causam, sume scutum inexpugnabile, æquitatem. Novit enim Orbis Sarmaticus, quàm in Tui judicij lance veritas præponderet. Cœlesti libræ æmula est, quæ non ita in unam partem inclinat, ut aliquid diei detrahat. Ad libram & stateram Divina Te assumpsit Themis, quia quidquid in Te spectare contingit, ponderosum est: Judicis sic fungeris trabeâ, ut trabales extermines errores. Omnis decisio Tuo stetit Arbitrio, omne vitium Tuâ decidit decisione. Facit hoc Tuâ scilicet illa demissio, quâ attingis

gis ſuperos, ſuperas humana. Nec mirum, quia Te unum de primæ magnitudinis Poloni Cæli ſideribus, Orbis adorat Seraphicus. Tanta enimvero, totq; omnigenæ eruditionis micant in Te lumina, veluti omne ſtudium, vitaq; momentum impendiſſes. Tot, tantiq; virtutum fulgent radij, qui in vultu ipſo Cordis indice videri, legiq; valeant. Igitur permitte ANTISTES ILLUSTRISSIME, ut etiam ex tot probati Conſilij, atq; iudicij præmiſsis, ſub Tuo Doctiſſimo Nomine Theologia concludat controverſa; cujus, Tui æquiſsimi judicij ſtateræ has fidei appendo Controverſias.

Nec indignare MECÆNAS ILLUSTRISSIME, *opusculum adeo parvum Maximo* Nomine Tuo *adornari. Non enim ineptè Theologiæ Controversæ summam* ILLUSTRISSIMO Nomine Tuo *inaugurare censui; cum etiam* Tu ILLUSTRISSIME ANTISTES *quoddam scientiarum, Meritorum & virtutum sis Compendium. Ideo huc me inclinavit æquanimitas, ac beneficiorum munificentia, pertraxit veritatis amor,, huc deniq; perduxit illa Sacri codicis illatio*: Requiescet super eum Spiritus Sapientiæ & intellectûs, spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pie-

pietatis, & arguet in æquitate pro mansvetis. *Isaiæ* 11. *Vers.* 2. *Ergo jam admitte in tutelam* Judex æquissime *injuriatam fidei veritatem, age Causæ Patronum, & Patrem Ordinis Minoritici; augebunt vires superi, aureis labores coronando sæculis.*

TUO NOMINI
Obligatus vovet
ILLUSTSRISSIMI, REVERENDISSIMI
HONORIS TUI

Perennis Æstimator & Servus
Fr. Jacobus Wolski,
Ord. Min Strict. Observ. Reformatus.

CENSURA OPERIS.

Ex mandato Superiorum, Libellum ſub Titulo *Alphabetum Dogmaticum*, ab Adm. Rever: Patre JACOBO WOLSKI, Provinciæ in Majori Polonia Patre, & Diffinitore Actuali S.T.L. ac Prædicatore Emeritiſsimo, ſolidè in dogmatibus fidei conſcriptum, & compendiosè ſub Alphabeto collectum, legimus infra ſcripti, & revidimus; in quo cum omnia conſona Fidei Catholicæ, Sac: Scripturæ, & ſenſui Conciliorum, ac SS. Patrum reperiantur, ideo, ut non ſolum typis, ſed etiam mentibus legentium, fructuosè imprimatur, dignum eſſe cenſemus. Datum in Conventu noſtro Gedanenſi, ad S Antonium Paduanum, die 30. Julij, Anno Domini 1730.

Fr. Ludovicus Wieniecki,
Diffinitor Actual. Prov. S. T. L.

Fr. Melchior Kozuchowski,
Custos Actualis Prov., Prædicator & Magiſter Novitiorum.

FACULTAS
Admodum Rever. Patris MINISTRI PROVINCIALIs

QUoniam hoc compendiosè, ab Adm: Reverendo Noſtro Patre JACOBO WOLSKI, S. Theol: Lectore emerito, Primo Patre Provinciæ Reformatæ Majoris Poloniæ, & protunc Actuali Diffinitore, opuſculum elaboratum, *Alphabetum Dogmaticum* intitulatum, omnia conſona S. Fidei Romano Catholicæ, & bonis moribus contineat, Acatholicorumque errores prudenter & claré enervet Eapropter dignum publica luce, & prælo cenſeo, & ut imprimatur (ſervandis tamen ſervatis) concedo. Datum in noſtro, ad S. Caſimirum Conventu Poſnanienſi, die 8. Januarij Anno Domini 1731.

Fr. Antonius Rudzienski
Provinciæ Reformatæ S. Patris FRANCISCI Majoris Poloniæ Miniſter Provincialis
mpp.

APPROBATIO
LOCI ORDINARII.

Libellum ſub titulo, *Alphabetum Dogmaticum*, ab Admodum Reverendo Patre JACOBO WOLSKI, Provinciæ Reformatæ in Majori Polonia Patre, Sac. Theol. Lectore, ſolidè conſcriptum, legi, & revidi, nihilque repugnans Fidei Catholicæ inveni, imò dignum prælo, ac luce cenſeo. Datum Poſnaniæ 16. Decembris, Anno 1730.

Franciſcus Kaznowski,
Epiſcopus Domitiopolitanus, Suffraganeus & Officialis Gen: Poſnanienſis, Archidiaconus Pſcevenſis. mpp.

PROÆ-

PROŒMIUM.

VErum quidem eſt, de Sacroſanctæ ac indubitatæ Fidei Catholicæ dogmatibus, diſputare vanum ac otioſum laborē eſſe, Teſte S. Ambroſio ſic in natali SS. Martyrum Nazarij & Celſi diſcurrente: *Noverimus, quia non ſine magno diſcrimine de Religionis veritate dubitamus, quam tantorum ſangvine cónfirmatam videmus*; magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem, quaſi novellam diſcutere præſu-

mas

mas, & poſt tam manifeſtos Duces in errore permaneas, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas, ſed quoniam ingraveſcentes in dies hodiernæ hæreſes peſtiferæ, ſole clariorem Fidei Catholicæ veritatem ſuis erroneis obſcurare & obnubilare contendunt ſophiſmatibus; in confutationem eorundem falſorum dogmatum, præſentem inſtituimus Tractatum, quem per ſynoptica quæſita, ordine ſervato Alphabetico abſolvemus.

CONTRO-

CONTROVERSIOLÆ THEOLOGICÆ

Succinctè per Alphabetum collectæ.

Altare.

QUæres? Utrum in Novo Teſtamento Altaria ſint permittenda? Ante reſolutionem notandum eſt ex Feſto & aliis, Altare dici ab altitudine, unde Altare, nihil aliud eſt ex vi nominis, quam alta ara. Amalarius Altare vocat menſam Domini, quæ debet eſſe lapidea ex inſtitutione S. Silveſtri Papæ, ab Epiſcopo conſecrata. Nunc reſpondeo ad quæſitum affirmativè, & ratio eſt, quia in Veteri

Teſtamento licitus erat uſus Altaris, ut patet ex Scripturis Sacris à Noë, quî primus ædificavit Altare Domino DEO Gen. 8. ℣ 20. Et de Altari in Novo Teſtamento expreſſe habetur 1 ad Cor. 8. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui Altari deſerviunt cum Altari participant.* Et ad Hæbr. 13, *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſerviunt,* Quapropter Sixtus II. decrevit, ut Miſſa non fiat niſi in Altari, ut refert Radulphus *propo:* 23. Obijciunt Hæretici Altaria permittuntur propter Sacrificia, ſed Sacrificia non ſunt permittenda in novo Teſtamento, cum in Cruce ultimum Chriſtus Dominus conſumaverit & terminaverit Sacrificium dicendo: Conſumatum eſt: Ergo &c. Reſpondeo conceſſa Majori, Nego Minorem, negatæ Minoris diſtingvo Probationem. Conſumavit & terminavit Sacrificium cruentum *Concedo*

In-

Incruentum *Nego*, ſed de hac materia fuſius patebit in infra dicendis de Miſſæ ſacrifitio.

Arbitrium Liberum.

QUæres? Manetné nunc in toto, ac minimè læſum in homine liberum Aıbitrium? Reſpondeo. In homine etjam poſt Adami lapſum eſt liberum Arbitrium, ſeu libera poteſtas ex medijs unum præ alio eligendi, aut unum acceptandi, vel reſpuendi, tam in actionibus liberis quàm in moralibus ad ſalutem pertinentibus, pro executione tamen egere auxilio gratiæ Divinæ. Et probatur Primo quo ad liberam electionem hominis Gen. 4, ℣ 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Numerorum 30. ℣ 14. *In Arbitrio Viri erit ut faciat ſive non faciat.*, Deut. 30 ℣ 19. *Teſtes invoco Cælum & terram quod propoſuerim vobis vitam & mortem eli-*

gite ergo vitam. Josue 24. ℣ 15, *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.* 2. Reg. 3. ℣ 5. *Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris.* 2. Reg. 3 ℣ 5 *Postula quod vis ut dem tibi*; 2do. Probatur quoad liberam executionem, ut nimirum homo aliqua possit facere quæ non facit, & è contra aliqua possit non facere quæ facit 1. Reg. 3. ℣ 1. *Quia non postulasti & non petisti tibi dies multos, nec divitias aut animas inimicorum tuorum* (quæ scilicet poterat postulare) *sed postulasti tibi Sapientiam &c.* Ec. 30. ℣ 10. *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* 1, ad Cor. 11. ℣ 4. *Non sum liber? numquid non habeo potestatem manducandi & bibendi?* Act 5. ℣ 4. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate..* Matt. 19. ℣ 7. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* & ℣ 21, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Luc 9. ℣ 23. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*

psum &c. Huc possunt ex Sacris Literis adduci, omnia præcepta, consilia quare enim quid præcipitur, consulitur, nisi quia potest fieri, aut non fieri, sic colligitur ex S. Aug. libro de Gratia, & libro de Arbitrio, vide Bellarminum Tomo 3. de Libero arbitrio,

E contra Acatholici tenent dicentes: quòd homo in statu naturæ correptæ non habet ulla in re liberum arbitrium, nec in indifferentibus, quîdem & civilibus, unde non tam liberum, quam servile habet arbitrium. Adducuntque pro se 1*mo* Locum Sacræ Scripturæ: Isaiæ 41. ℣ 23 *Benè aut malè si potestis facite. Respondeo,* Propheta hic non de hominibus loquitur, sed de Idolis gentium, de quibus David ait: *Manus habent & non palpabunt &c.* 2*do.* Ezech. 36. ℣ 27 *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & juditia mea custodiatis.* Utique dicunt

Hæretici, ſine hoc Spiritu non poterant &c, Ergo non habent liberum arbitrium. *Reſpondeo.* Per Spiritum intelligitur hîc gratîa excitans, quâ interna inſpiratione Dominus DEUS ſvadet & excitat, ut conſentiamus ad implenda mandata Divina ejus, ita tamen, ut in poteſtate hominis ſit conſentire excitanti, & ſic non niſi adjuvat infirmitatem noſtram, minimè autem tollit libertatem. 3tio: *Pſ.* 118, ℣. 39 *Inclina cor meum in teſtimonia tua & non in avaritiam.* & 1. Reg. 8. ℣ 58. *Inclinet corda noſtra ad ſe, ut ambulemus in univerſis vijs, & cuſtodiamus mandata ejus.* Qui ſic orat, certè non habet in ſua poteſtate ut faciat vel non faciat.

Reſpondeo: Qui ſic orat, petit à DEO gratiam ad exequendum quòd liberè eligit. 4to. Ioan. 8 ℣ 14. Qui facit peccatum ſervus eſt peccati, Si eſt ſervus, ergo non eſt liber:

Reſpondeo diſtingvendo: non eſt liber in ſuppoſitione antecedenti *Ne-*

go.

go. In consequenti *Concedo:* etenim impossibile est, ut dum peccat, sit tunc indifferens ad peccatum, hinc servus peccati, non est quidem liber à peccato, sed tamen est liber ut maneat vel non maneat in illa servitute antecedenter, potest se ab illa servitute auxilio DEI invocato liberare.

5to Joan: 15. ℣. 4, *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseretis. Respondeo* Sensum verborum istorum esse, scilicet omnino necessariam esse DEI gratiam quo ad executionem, sicut vitis est necessaria palmiti. 6to 1 ad Corint: 4. ℣. 7. *Quid habes quod non accepisti?* Si igitur nihil habemus proprij, Ergo nec actiones nostræ sunt in propria potestate. *Respondeo* utiq; & liberum arbitrium accepimus donô a Deo, ideoq; nostrum est, ut pro arbitrio nostro, cum gratia DEI possimus facere, vel non facere. Hinc Cap. 3. ℣, 8. dicit: *Unus quisq; propriam mer-*

cedem accipiet , *ſecundum ſuum laborem*, utiq; merces ſupponit ſpontaneum,& non coactum laborem. 7mo *ſine me nil poteſtis &c.* Et ad Rom: 9. ℣. 16. *Non eſt volentis, nequè currentis, ſed miſerentis DEI.* 1 adCorinth: 3 ℣. 6. *Neque qui plantat eſt aliquid, nequè qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS.* *Reſpondeo* Hæc ſolum probant nos ad exequendum, quòd ſpontè & liberè ipſimet elegimus DEI gratiâ indigere.

Baptiſmus.

QUæres? An Infantes ſint capaces baptiſmi? *Reſpondeo* & Concludo 1*mo*: Infantes ſunt capaces ſalutis, id eſt gratiæ & gloriæ. *Probatur* 1*mo* exemplo Ieremiæ & *S.* Joannis Baptiſtæ, qui in utero materno iuſtificati ſunt a pecato originali. 2*do* exemplô Innocentum, ab Herode occiſorum. 3*tio.* ſi poſſunt participare peccatum Adæ, cur non ſimiliter gratiam

tiam Christi. 4to. Ex Matth: 19 ℣. 19, *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim Regnum Cœlorum.*

Sed in Contra Respondent Anabaptistæ, Christum non loqui de Infantibus, sed de pueris, qui jam usu rationis utuntur; nam infantes, non possunt venire ad Christum, sed debent portari. Hoc argumentum Hæreticorum refellitur ex Luca, qui apertè significat, Christum loqui de Infantibus, qui ab alijs portabantur; sic enim habet Cap, 18. ℣. 15. *Afferebant autem ad illum & infantes, ut illos tangeret.*

Respondeo & Concludo 2*do*: Infantes sunt etiam capaces baptismi, & legitimè baptizari possunt. Probatur 1*mo* Infantes sunt capaces gratiæ & gloriæ, Ergo consequenter sunt capaces justificationis per baptismum à peccato originali, cum Baptismus sit remedium contra illud peccatum. Probatur 2*do* ex Ecclesiæ Praxi antiqua,

& traditione. Probatur 3*tio* ex illis Sacræ ſcripturæ locis, ubi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, ut Act: 16. ℣. 15. *Cum autem baptizata eſſet Livia & domus ejus.* & ℣. 33, *Baptiſatus eſt ipſe* (nempe cuſtos carceris) *& omnis domus ejus continuo.* Tum quia Infantes in veteri teſtamento, legitimè circumcidebantur. ergo & nunc legitimè baptizantur.

Obijciunt 1*mo* Anabaptiſtæ. In Sacris literis, nullum habemus præceptum de baptiſmo Infantium, *Ergo &c.* *Reſpondeo* Hoc argumentum rectè procedit contra Calvinos & Luteranos, qui non niſi ſolum ſcripturam Sacram admittunt, ex ſola enim Sacra ſcriptura non poſſunt proferre ullum præceptum de Baptiſmo Infantium, niſi illud: *Niſi quis renatus fuerit &c.* hoc autem Anabaptiſtæ non admittunt, At Catholici præter Sacram ſctipturam, admittunt etiam traditionem & praxim S. Eccleſiæ, de qua S. Aug: lib: de ge-

de Gen: Cap: 23 sic loquitur: *Consvetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis, nequaquam Spernenda est, nec ullo modo Superflua deputanda est, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Et Lib: 4 de Baptismo cap: 24 dicit: Apostolicam esse traditionem, quòd Parvuli sint baptisandi. Et lib: 1 de Pec: mor: & remis: dicit: Pelagianos non fuisse ausos baptismum parvulorum damnare, quòd viderent in tota Ecclesia usitatum esse.

Objiciunt, 2*do*: Christus mandavit Apostolis, ut prius docerent homines, & postea baptizarent, at doceri infantes non possunt ante usum rationis, Ergo &c. *Respondeo*, Christus non nisi docuit Apostolos ordinem, quem servarent in conversione gentilium Adultorum. Erat autem hic ordo, ut priùs instruerent eos in fide; 2*do* Baptizarent, 3*tio* docerent servare præcepta Dei, nam fides & Baptismus, non sufficiunt adultis, sinè observatione mandatorum DEI.

Objiciunt, *3tio:*Nemo potest baptizari nisi credat,& pæniteat, quod præstare nequeunt Infantes Ergo, Major patet ex Marci. c. 16 ℣, 16. *Qui crediderit,& baptisatus fuerit&c.*Act. 8 ℣. 36 *Dixit autem Philippus Eunucho, si credis ex toto corde licet (intellige)baptizaris* & Act.C.2 ℣, 38. *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.*

Respondeo, Loca citata debent intelligi de Adultis, neque enim Infantes pænitentiam, & præsertim pænalem facere possunt: nam adulti præter peccatum originale, habent actualia.

Dices, Nemo potest justificari sine fide, sed parvuli fidem non habent. Ergo nec justificari perBaptismum valent. *Respondeo* Parvulos præsertim Infantes habere fidem alienam, scilicet Sanctæ Ecclesiæ,Parentum suorum, & Patrinorum, & in ipsoBaptismo suscipiunt fidem habitualem,spem, & charitatem, *Respo.* & Concludo *3tio.*

Bapti-

Baptiſmus Infantibus, eſt remedium neceſſarium ad remiſſionem peccati originalis, & ad gratiam, & gloriam conſequendam, adeò ut ſi ſine Baptiſmo ex hac vita decedunt, non poſſunt ſalvari, excepto caſu Martyrij; eſt Communis Catholicorum, definita in Concilio Carthaginenſi, & Milevitano apud S. *Aug:* Epiſt: 80, & in Concilio Tridentino Seſs: 6 C. 5, de Baptiſmo, audiamus de hac re S. Aug: diſcurrentem Lib: 30. de Anima & ejus origine Cap 9 *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Probatur ex Sacra Scriptura Joan. 3 ℣, 4, *Niſi quis fuerit renatus ex aqua* &c. *Reſp.* &Concludo 4to Baptiſmus non minùs neceſſarius eſt fidelium filijs, quàm infidelium, Quia filij fidelium non minùs naſcuntur, in peccato originali, quàm alij.

Dices 1mo. Fideles Parentes non

ha-

habent peccatum originale, *Ergo* non possunt illud in Filios, quos generant transfundere, *Ergo* Filij Fidelium, non nascuntur in peccato originali.

Responde, Dupliciter intelligi potest, Parentes transfundere peccatum originale in Filios; *1mo*, ut ipsi quasi effectivè producant, aut communicent illud peccatum suis filijs, & hoc falsum est *2do*. Ut ipsi per carnalem generationem producendo filios ex semine Adæ, subministrent materiam, seu subjectum, in quod transfundi possit peccatum originale, & hoc verum est. Hinc sequitur ex generatione Parentum sive justi sint, sive non, transfundi peccatum originale in filios; nam qualescunque sint, satis est, quòd per generationem naturalem producant filium, in quo peccatum Adami possit suam vim moraliter exercere.

Quapropter necessitas Baptismi in infantibus, non tollitur per Divinam pro-

promiſsionem factam Abrahæ, & poſteris: his verbis: *Ego DEUS tuus, & ſeminis tui poſt te.* Gen.13. Neque vi illius promiſsionis, Filij Fidelium naſcuntur ſancti & liberi à reatu & imputatione peccati originalis, eſt contra Calvinum Et ratio eſt,quia illa promiſsio facta eſt Abrahæ, poſtquam illi remiſſa eſſent peccata, nam ante Circumciſionem cui promiſsio annexa eſt, fuit juſtus & fidelis ut patet ad Rom. 4.℣11 Tum quia,poſt Abraham, David natus erat ex Parentibus fidelibus, & tamen de ſeipſo dicit: *Ecce enim in inquitatibus conceptus ſum &c.* Pſ. 50.℣ 7.

Dices in Contra: 2*do*,1 ad Corin. 7, ℣ 14. dicit S Paulus: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem,& Sanctificata eſt Mulier infidelis, per virum fidelem, alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſunt ſancti.*

Reſpondeo. Apoſtolus intelligendus eſt de ſanctificatione nuncupativa

qua-

qualiter vir infidelis, secundum dici extrinsecè sanctificatur per mulierem fidelem, sicut vir ignobilis nobilitatur per nobilem, non vero, de interna.

Caput visibile Ecclesiæ.

A Catholici pro Capite Visibili Ecclesiæ, statuunt Reges & Principes sæculares, & solum Christum Dominum pro invisibili Capite agnoscunt, verùm cum Communi Doctorum Catholico. Dico, & concludo. Ecclesiæ, quidem totius caput est Christus, tamen quia ipse à Militante Ecclesia secundum visibilem præsentiam abest, est & aliud Caput visibile, scilicet Summus Pontifex, & non Reges aut Principes sæculares. Probatur ex S. Scriptura. 1mo. Exodi 40. ℣ 12. & 13. *Applicabis Aaron & Filios ejus ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aquâ, indues Sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in Sacerdoti-*

um

um sempiternum proficiat. Nunc dico, Si teste S. Paulo 1.ad Corint 10.℟6. In figura facta sunt nostra, quæ in veteri Testamento sunt facta; debebit omnino Ecclesiæ esse Caput Visibile, Persona aliqua Spiritualis, & Sacra, qualis Aaron erat. Unde S.Ambrosius super Epistolam ad Timoth: ait: *Domus DEI est Ecclesia, cujus hodie Rector est Damasus Papa.*

Probatur 2*do* Matt. 16. ℣18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* &c. *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum,& quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis,&quodcunque solveris super terram,erit solutum & in Cælis.* Per petram;S. Petrum intelligi tenet 1mū TotumChalcedonense Concilium,630. Patrum. 2doTota Ecclesia Catholica. 3tio Origenes, Augustinus, Athanasius, Basilius & alij vereres Sancti Doctores, vide Bellarmin. Tum denique per hæc verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*

am, intelligitur committi regimen Ecclesiæ à S. Chrysostomo, Ambrosio, Gregorio, Hieronymo alijsque. Per *Claves datas*: intelligitur summa potestas in omnem Ecclesiam, sicut quando Gubernatori traduntur Claves Urbis, creditur simul tradita potestas Urbem gubernandi, sic intelligit S. Gregorius lib. 4, Epla: 32 & alij apud Bellar: Probatur 3*tio* Ioan: 21 *Pasce oves meas*. Hoc soli Petro esse dictum probat S, Scriprura contextus; ut docent SS. Patres: Cyrillus Augustinus, Ambrosius Leo & alij. Per *pasce*, non mandatur solum ut ministret cibum ovibus, sicut Minister, sed ut procuret, præsit, & dirigat, sicut Præpositus, sic accipit S, Hug: & alij. Per *oves*, intelligitur Universa Ecclesia, ab Epiphanio, Chrysostomo, Ambrosio, Leone Theophilacto &c. alijs. Vide Bellar: loco: cit: cap: 14, 15, & 16, Tum quia Quoties, in plurali SS. Apostoli numerantur, ut Matth. 10. ℣ 2: Mart.

Marc.3.℣ 16, Luc:6.℣ 14. Act 1 ℣ 13. semper primo loco ponitur S. Petrus, ut ostendatur eum esse supra omnes, tanquam primum Caput, quòd consequenter& nunc de SummoPontifice tenendum est; Necessario enim est, esse aliquem, qui mortuo Petro,& ovile regat,quod usque ad consumationem mundi manebit,& oves pascat. Eadem enim est necessitas semper,quæ fuit in initio Ecclesiæ, atqui non fuit hactenus in Ecclesia assignatus alius, quàm Romanus Pontifex,quem etiam Concilia, Nicænum Chalcedonense, Constantinopolitanum, ante quintam Synodum. Lateranense, Lugdunense Generale, Florentinum &c. &c. admittunt Ergo &c.

Insuper summus Pontifex, non solùm est caput Ecclesiæ visibile primum, sed & Infallibile,ita,ut cum totamEcclesiam ut Pontifex assistente per Invocationem Spiritu Sancto docet,tam in his,quæ ad fidem pertinent, quam

in

in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, sive in rebus ad salutem necesarijs, sive in ijs quæ per se bona, aut mala sunt, nullo, casu errare possit. Ita scilicet, ut infallibilitas, non in ConcilioEpiscoporum, sed in ipso summo Pontifice sit statuenda.

Quod Probatur 1*mo* ex scriptura Lucæ 22, ℣. 31, *Simon Simon ecce satanas expetivit te, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* His verbis intelligitur Christus duo pro Petro petijsse. 1*mum* ut ipse quamvis a Diabolo tentaretur non possit unquam verám fidem amittere; sic hæc verba: *ut non deficiat fides tua*, explicant S. Aug: lib: de correp: & gratia Cap: 8, Chrysost: Theophilactus. 2*dum*, Ut ipse tanquam Pontifex, non possit unquam docere aliquid contra fidem, nec in sede ejus unquam inveniatur qui con-

tra

tra fidem veram doceat. Sic illa verba : *Confirma Fratres tuos*, explicant. Theophil: Leo,& alij, vide Bellarminum Tom: 1. de Rom. Pont. Lib. 4.

Probatur 2*do*. Matt. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,& portæ inferi, non prævalebunt adversus eam.* Ex hoc,quòd Christus promittat portas inferorum non prævalituras adversus Ecclesiam, quæ Petræ, ut fundamento est inædificata probat Origenes, etiam illam soliditatem & constantiam promissam, esse Petræ ipsi, super quam ut fundamentum Ecclesia est ædificata, nam iniquit: si prævaleat adversus Ecclesiam: etenim ut tota domus corruat,necesse est, ut & fundamentum destruatur, ita etiam sentiunt: Cyrill: Theodoretus; Hieronymus Aug: Greg: & alij vide Bellarminum loco citato. Probatur 3tio Ioan: 21 *Pasce oves meas*: his verbis Pontifex constituitur Pastor, & Doctor Ecclesiæ, quem ipsa tenetur

au-

audire & ſequi, quando rectè docet, non vero quando errat, nam quis judicabit, num erret nec ne? non fideles, quia oves non judicant Paſtorem, non Concilium, quia iſtud ipſum niſi a Pontifice approbatum, non eſt infallibile.

Contra hæc dogmata, Obijciunt 1*mo* Acatholici *Luc:* 22, ℣. 24, *Facta eſt contentio inter Apoſtolos, quis eorum videretur eſſe major. Dixit autem eis: Reges Gentium Dominantur eorum, vos autem non ſic; qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor.* Hic Chriſtus improbavit zelum inter eos, habendi caput. *Reſpondeo* Chriſtus Dominus hiſce verbis, non improbavit caput quod regat, ſed eorum ambitionem, præſcribitque regendi modum humilem, & modeſtum, alienum ab ambitione. & tyranide. Bellarminus &c. Objciunt 2*do* Ad Ephes: 4. ℣. 11, dicitur. *Et ipſe dabit quosdam quidem Apoſtolos, quoſdam quidem Prophetas, alios vero Evangeliſtas*

In

In hisce verbis nulla eſt mentio de Papa *Reſpondeo* Ponit ante omnes in Eccleſia Apoſtolos, & inter Apoſtolos, primum ſcilicet Petrum nominat. Denique in hoc loco, ſolum denotatur diſtributio variorum donorum in Eccleſia, non vero Hirarchia, ut advertit. Chrys: Theophil. &c:

Odijciunt 3*tio* ad Epheſ.4.℣.2. habetur : Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, Ergo, non uni ſolum ſummo Pontifici. *Reſpondeo.* Aliud eſt gratia, & aliud poteſtas in Eccleſia, nec nos dicimus, capiti viſibili Eccleſiæ datam eſſe omnem plenitudinem poteſtatis, quam Chriſtus in ſua Eccleſia habet. Chriſtus enim regit Eccleſiam omnem in æternum, quæ eſt in Cælo, purgatorio, & in terra, & pro arbitrio ſuo poteſt leges condere, Sacramenta inſtituere. Jam vero viſibile Caput Eccleſiæ; tantum eam Eccleſiæ partem, quæ eſt in terris, regit,

&

& si aliquando canonizat Beatos, hoc facit jubente ipso Christo, qui per miracula, quæ Sancti per illum operantur, manifestat eos esse in Cælo.

Objiciunt 4to. ad Ephes. 5. ℣ 23. habetur: *Christus Caput est Ecclesiæ*. Ergo non est ponendum aliud caput, alioquin Ecclesia esset biceps. *Respondeo*. Christus Dominus adhuc in terris vivens constituit Petrum Caput Ecclesiæ, dicendo: *Tu es Petrus & super &c.* & tamen tunc Ecclesia non erat biceps: Tum quia, non ponimus aliud Caput cum Christo, veluti æquale, sed non nisi, aliud Caput sub Christo, ut ejus Vicarium: sicut in Regno, absente Rege, ponitur Pro-Rex, qui utique à nemine dicitur Rex, aut Con-Rex; sed pro-Rex, ut Vicarius.

Objiciunt 5to. 1. ad Corin. 3. ℣ 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus*

ſtus. Hic Paulus non agnoſcit Petrum pro Capite, aut fundamento.

Reſpondeo. Chriſtus à Paulo vocatur, ſicut reverà eſt fundamentum fundamentorum primum, quod à ſe ipſo ſubſiſtit, & ſuſtinet etiam ipſum Petrum, juxta S. Aug. in Psal: 86. hoc tamen non impedit, quatenùs Petrus non ſit fundamentum ſecundarium, ita Corn, &c.

Objiciunt *6to*. ad Eph: 2. ℣. 20 dicitur: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESU*, Ergo non ſolus Petrus eſt hoc fundamentum ſed & alij Apoſtoli. *Reſpondeo*, Alij Apoſtoli dicuntur fundamenta, *1mò* Particularium Eccleſiarum, quas primi in alijs Regionibus fundaverunt, ex quibus coaleſcit Eccleſia Univerſalis. *2dò*. Quia primi doctrinam à Deo revelatam receperunt. *3tio* Quia cum Petro fuerunt primi Paſtores Eccleſiæ Univerſalis, Inter eos tamen Petrus

erat Paſtor primarius & ordinarius, illi extraordinarij, quaſi Legati vel Nuntij ad Regiones,quo Petrus non poterat ipſe abire. Petrus erat Paſtor ſupremus, ita ut ab eo omnes alij penderent, non vero è contra ipſe ab alijs, ſic Hieron. lib contra Jovin.

Objiciunt 7*mo*. Sicut Petrus nomine omnium Apoſtolorum dixit : *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi*: ita Chriſtus vicisſim, & nomine omnium reſpondit : Quapropter non ſoli Petro primatus eſt aſſignandus.

Reſpondeo S. Chryſoſtomus & alij SS. Patres dicunt Cum alij Apoſtoli neſcirent reſpondere, Petrum tanquam caput,& os Apoſtolorum reſpondiſſe, Chriſtum tâmen ſoli Petro, tanquam Capiti reliquorum dediſſeClaves,unde & ait ; *Beatus es Simon* &c. *quia caro & ſanguis non* &c.*ſed Pater meus*&c.

Objiciunt 8*vo*. 1Matt.8.℟ 18. dicit Chriſtus omnibus Apoſtolis : *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt li-*

gata

gata, & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo Item Joan. 20. ℣ 22: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata. remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo non solus Petrus accepit Claves & potestatem supra Universalem Ecclesiam.

Respondeo. In loco Matth. omnibus quidem Apostolis promittitur Clavium potestas, sed tanquam Legatis & Pastoribus extraordinarijs, dependenter videlicet à Petro, cui potestas data est, ut Pastori ordinario, & Capiti independenter, ab alijs, quapropter in omnibus locis, imo ponitur S. Petrus, & illi soli dictum est: *Pasce oves meas,* Vide Bellárminum.

Objiciunt 9no ad Gal ℣ 5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectione &c.* Hic Paulus nullam ad Petrum, tanquam Ecclesiæ Caput agnoscit subjectionem,

Respondeo. Paulus non loquitur de

Petro, sed de falsis subintroductis fratribus, qui urgebant, ut Titus circumcideretur. *Vide Cornelium à Lapide.*

Objiciunt 10mo. ad Gal: 6. ℣ 6. *Mihi qui videbantur, esse aliquid nihil contulerunt.* Hìc Paulus etiam Petrum, ut Caput non respicit.

Respondeo. Non loquitur de gubernatione, sed de Evangelio, quod ait: se non à Petro, aut ab alijs Apostolis, sed ab ipso Christo accepisse, ut patet ex Contextu Capitis ejusdem.

Objicit 11mo. ad Gal. 2, ℣ 8 *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Ergo Paulus in jurisdictione fuit, à Petro divisus, itá ut Petro subjicerentur Judæi & Paulo gentes, Ergo Petrus non erat Caput omnium:

Respondeo. Hæc divisio fuit tantùm Provinciarum, sicut & in cæteris Apostolis, omnibus enim dictum est *Euntes docete Gentes*, & reverà etiam

Pe-

Petrus ad gentes abivit, nam ſedem poſuit Romæ inter gentes.

Objiciunt 12*mo* Ibidem ſcilicet ad Gal.2.℣ 11, Petro Paulus in faciem reſtitit, ſic enim loquitur textus S. Scripturæ: *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat:* hic nota, quòd Petrum reprehenderit, quòd non ex legis operibus quiſquam juſtificetur, ſed per fidem in Chriſtum, jam autem Cephas Petrus vocabatur.

Reſpondeo: Reprehendit Paulus Petrum, ſed non negavit ei Primatum; neque indecens eſt, ſi inferior quandoque cum debita tamen modeſtia, & reverentia, ſuperiorem moneat, ita Cyprianus in Epiſt. Quint: & Gregor. Hom.18. in Ezech, dicens. Tacuit Petrus, ut qui primus erat in Apoſtolatûs culmine, primus eſſet in humilitate. Et Aug. Epiſt, 19. ad Hier. Rarius ait Et *ſanctius exemplum Petrus poſteris præbuit. quo non dignarentur à poſte-*

rioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus, pro defendenda veritate, salva Charitate resistere: Reprehendit autem Paulus Petrum, quòd incautè Judaismum simularet, atque Gentes ad Judaizandum incitaret Vide Cornel: in Epist. Pauli. Non dixit Petro, restiti, sed Cephæ; Petrus enim idem est ac Papa, seu Summus Pontifex, jam autem Simon vel Cephas, ut homo, unde Christus arguens, eum dixit: *Simon dormis.*

Objiciunt 13. Quando Christus promisit Petro non defecturam ejus fidem esse, tunc nondum erat Romana Ecclesia, nec Dominus Sedis Romanæ, tunc meminit, Ergo Petro, id non promisit, ut Pontifici, sed ut homini privato.

Respondeo. Licet Petrus tunc nondum fuerit verbis, declaratus Pontifex Romanus, erat tamen in Christi mente designatus. Sed

Dices: Si quod Petro fuit dictum

ctum,etiam dictum est successoribus. Ergo etiam omnes successores debebunt prius Christum negare, & rursum converti, antequam fiant Pontifices,

Respondeo 1mo. Illud *& tu aliquando conversus*, non est intelligendum de Petri conversione, à peccato negationis, sed de tentatione aliorum in Ecclesia, ad quos debeat ille, & alij ejus successores converti, ut confirment.

Respondeo 2do. Successoribus in Petro dictum est, quod Petro, ut Pontifici futuro erat dictum, converti autem à negatione (si ita libeat explicare) *non est dictum Petro ut Pontifici, sed ut privatæ Personæ* neque enim est ulla connexio negationis Christi cum Pontificatu.

Instabis. Multi Canones, docent Pontificem non posse judicari nisi inveniatur â fide devius, ergo prævisum est eum in fide errare posse. Tandem si Pontifex ut Pontifex etiam so-

lus est infallibilis, ergo frustra fiunt Concilia Æconomica.

Respondeo. Canones loquuntur de Pontificis errore personali, non verò judiciali quando aliqui ex Cathedra prævio Patrum Ecclesiæ Sanctæ consilio disquisitione, uti solet fieri, decernit solenniter & publicè. Sic quod S. Pater Franciscus sit Sanctus, aut quod sit in cælo, est Articulus Fidei, sed hunc Articulum Fidei. Papa non decrevit ut privata Persona, sed ut Pontifex ex Cathedra prævio Patrum ac seniorum S. Ecclesiæ, Theologorumque Consilio & solicita miraculorum investigatione,

Respondeo. ad tandem &c. Licet sit infallibilis tamen media humana debet adhibere, ut cautè procedat; quomodo autem cautius procedat, quàm si plures audiat in Spiritu Sancto congregatos.

Consilia

Concilia

QUæres? An Concilia ſint infallibilia?

Reſpon. Concilia Generalia Æconomica legitima & à ſummo Pontifice confirmata nec in fide, nec in moribus errare poſſunt. Probatur id ex ſacra ſcriptura 1*mo* Mat. 18 ℣, 20 *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, ſi autem Chriſtus eſt in medio eorum qui Eccleſiam repræſentant, quomodo poſſunt errare, & ſupra in eodem capite ℣. 17 dicitur. *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus, Amen dico vobis quodcunque alligaveritis*, ſic explicant hæc loca ſacræ ſcripturæ, Concilia Chalced: act: 3 Concil: Tolet 3

Probatur 2do Ioan: 16 ℣. 13, *Spiritus veritatis quem &c. dabit vobis ut maneat vobiſcum in æternum docebit vos*

(non solum Apostolos sed etiam Episcopos) *omnem veritatem*, non autem decet singulos seorsim, ergo congregatos.

Probatur *3tio.* Act. 15. ℣ 28: Primum Concilium Hierosolymitanum inquiens. *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, non potest de errore argui, nisi & Spiritus Sanctus possit errare, consequenter nec alia Concilia quibus Spiritus Sanctus æquè ac huic adstitit:

Probatur 4to Luc. 10. ℣ 16. *Qui vos* (intellige Apostolos & vestros successores Episcopos) *audit, me audit*, si ergo à DEO jubemur eos, ut Magistros nostros audire, ergo errori subjacere, ulli nequeunt, maximè in Nomine Christi congregati.

Objiciunt Hæretici *1mo* Isaiæ 56, ℣ 10. *Speculatores ejus cæci sunt omnes, nescierunt universi videntes vana, amantes somnia, Ipsi Pastores ignoraverunt* Item Jerem. 6. ℣ 17. à Propheta, usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Denique Oseæ 9. ℣ 8. *Propheta laqueus ruinæ factus est.* Re-

Respondeo, Præterquàm quod prædicta loca Sacræ Scripturæ loquantur, per Synecdochen, quis enim credat omnes Veteris Testamenti Prophetas tales fuisse, quare nonnisi intelligenda sunt, de Prophetis in unum non congregatis, sed privatim loquentibus, aut satius de Pseudoprophetis. Denique Sacerdotes Veteris Testamenti non habuere illam à DEO infallibilitatis promissionem, sicut nunc, *Vide Bellarminum.*

Objiciunt *2do* Jerem, 14. ℣ 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in Nomine meo.*

Respondeo. Iste locus accipiendus est de Pseudoprophetis; de quibus mox addit: *Non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos,* quales non sunt Episcopi in Concilijs legitimè congregati.

Objiciunt *3tio* Act. 20 ℣ 29. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes*

perversa, ut abducant discipulos post se, Item Matt 24. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.*

Respondeo. Hæc ipsa Sacræ Scripturæ loca aptissimè quadrant ipsis hæreticis, sic sentit D. Ambrosius lib 7. in Cap. 10, Lucæ S. Clemens lib 8 Constitut Cap, 18 & vivente adhuc S. Paulo Hymenæus, Alexander & alij insurrexerunt.

Clericatus.

QUæres? Estne permittendus in Ecclesia Clericatus?

Respondeo Omnino est permittendus. Probatur 1mo. Num. 18. ℣ 20. & Deuth: 18. ℣ 12, Dicitur: *Dominus esse Pars, & hæreditas Sacerdotum & Levitarum*, eo quòd illis noluerit, dare partem in sortitione terræ, sicut reliquo Populo, sed eis donavit partem suam, decimas & oblationes Filiorum Israel, unde dicuntur, de sorte

Do-

Domini, ex Græco, ita Hieron: in Ep: ad Niceph. Sicut àutem in Veteri Testamento erant Sacerdotes & Levitæ à reliquis distincti, ita & in novo Clerici sunt distincti a Populo, scilicet à Laicis.

Probatur 2do, Act, 14, ℣ 22 *Cum constituissent Paulus & Barnabas illis per singulas Ecclesias, Presbyteros &c,* Item ad Titum 1. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros,* & ut explicat S. Leo Epist. 87. ad Epis: Africæ, scilicet Episcopos & Sacerdotes, uti & ipsum Titum idem S. Paulus prius constituerat Episcopum,

Objiciunt 1mo ad Gal: 3. *Non est Judæus, neque Græcus, non est servus neque liber, non est Masculus neque Fæmina, omnes enim vos unum estis in Christo IESU.* Ex hoc loco inferunt Acatholici, Populum Christianum debere esse unum & simplicem, sine ulla differentia Personarum;

Respondeo. Apostolus ijs verbis solum vult ista non facere Filios DEI, sed Fidem cum spe & charitate, non enim ideo quisquam est Filius DEI, quia est Clericus, sed si benè vivit, tandem sicut corporis unitas,& simplicitas, non excludit diversitatem membrorum, juxta Apostolum adCor. 2.℣ 20 *Multa quidem membra, unum autem Corpus*: ita à pari unitas & simplicitas S Ecclesiæ non excludit &c:

Objiciunt 2do 1 Petri 5 *Pascite qui in vobis est gregem Dei &c. neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Hic a S. Petro tota Ecclesia Clerus vocatur.

Respondeo. & quæro ex Hæreticis ubi scriptum est per Clerum totam Ecclesiam intelligi jam,verò S. Hieron: Epla ad Nepot. per Clerum intelligit Ordinem seu statum Ecclesiasticum, non vero Populum simplicem. Sed Dicunt: non est potestas nisi a Deo ad Rom; 13 ℣. 1

Re-

Respondeo. diſtingvendo immediata, Concedo, Mediata Nego, nam cum ordinant Epiſcopi Clericos, ordinat & ipſe DEUS immediatè, & Epiſcopi mediatè, agunt enim & faciunt omnia in Perſona Chriſti Domini ut cauſæ principalis gratiæ. Hinc deploranda Acatholicorum doctrina eſt docentium, totum cætum tum Laicorum, tum Clericorum conjunctim poteſtatem habere ordinandi miniſtros, & licèt ſoli Paſtores vitandæ confuſionis causâ manus imponant, tamen nomine Populi faciunt, ut is dicatur non ſolum eligere & vocare ſed etiam ordinare, ad quos Populus jus habet, & ex hac erronea eorum opinione colligere eſt, qualis ſit Eccleſia Acatholicorum, qualia habent Sacramenta, qualis cultus Divinus, cum non habeant Miniſtros Eccleſiæ ritè ordinatos nec ſacerdotes, niſi à Catholicis profugos

Cælibatus.

QUæres? Eſt ne licitus cælibatus, & an ordinandi vivere in illo debeant?

Reſpondeo. Non quidem jure Divino, ſed Poſitivo Apoſtolico cælibatus ſacris ordinibus in Eccleſia Latina annexus eſt, ita ut poſt ſacros ordines ſuſceptos, ducere non valeant Uxores, vel ſi ante habuerunt, quò ad thorum ſeparentur, & probatur ex S. ſcriptura 1*mo* ad Titum 1 ℣. 8 *Oportet Epiſcopum eſſe ſobrium, juſtum Sanctum, continentem,* ſcilicet â libidine et Uxoris amplexu abſtinentem ſic explicat S. Hieron: 2do ad Timot: 4, *Nemo militans Deo in Eccleſia miniſterijs* (*juxta Chryſo: & Ambroſium*) *implicat ſe negotijs ſæcularibus:* inter quæ Tertulianus numerat conjugium, quòd apud gentiles etiam militibus vetitum erat, ut expeditiores ad bella eſſent

ſent, cum igitur ſit Sanctio Apoſtolica, alia ex ſcriptura peti non debent documenta. Verum.

Ojiciunt Acatholici 1mo: 1ma ad Tim: 4. ℣. 3 *Prohibentes nubere vocantur Hæretici*, ex quo loco inferunt, non ſolum ante, ſed etiam poſt ſuſceptos Sacros Ordines licet Uxorem ducere, ne fornicandi periculo Eccleſiæ Miniſter exponatur.

Reſponceo Apoſtolica conſtitutio non prohibet abſolutè in Eccleſia nuptias ſed cælibatum tanquam conditionem in ordinandis requirit, nec tamen vel ad Sacros Ordines, vel ad cælibatum cogit. Hinc ante *Sacros* Ordines ſeriò & ſedulò ſingulos monet, ut ſi continere ſe non poſſint, ab ordinibus faceſſant, cum juxta Apoſtolum: *melius eſt nubere, quam uri.*

Objiciunt 2do 1 ad Tim: 2 & ad Tit: 1 ℣. 6 Inter reliquas boni Epiſcopi dotes ponit conjugium S. Paulus ut *ſit unius uxoris Vir.*

Reſp-

Respondeo Non præcipit hoc Paulus nec in Episcopo requirit, ipse enim contrarium fecit,qui de se scribit 1 ad Corint: 7 ℣. 8. *Dico non nuptis & viduis,bonum est illis si sic maneant sicut & ego.* Et quotquot hucusque in Ecclesia latina fuerunt Episcopi Sanctissimi, continentes fuerunt. Hoc textu autem Apostolus exigit Episcopum non debere esse ante Episcopatum bigamum. Ita S. Epiph: Theop: Hieron Leo & alij.

Objiciunt 3tio Ibidem ℣. 11. *Mulieres (ministrorum Ecclesiæ) sint pudicæ.* Ergo apparet quòd S. Paulus velit eos habere Uxores.

Respondeo Loquitur de eorum solummodo ministrorum Uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, à quibus tamen se postmodum continebant, & vult non facilè conjugatum ordinandum; quin moraliter etiam de continentia conjugis constet.

Objiciunt 4*to* 1 ad Cor. 9 ℣ 5. *Num-*

quid

quid non habemus potestatem, mulierem, sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli.

Respondeo: In hoc textu S. Scripturæ non loquitur S. Paulus de uxoribus aliorum Apostolorum, sed pijs fæminis, quæ Apostolis de facultatibus suis administrabant, sicut & Christum Dominum, hoc fine aliquæ fæminæ sequebantur, ut patet ex Lucæ 8. ℣ 3. Ita explicat S. Chrysost. Theodor Theoph. Ambr. Tertul. Aug. & alij, Dicuntur autem *Mulieres, sorores*, sicut, Act. 1. ℣ 26. dicebantur Viri Fratres.

Objiciunt 5*to* 1. ad Cor. 7. ℣ 2. *Propter, fornicationem unusquisque uxorem suam habeat* : Quod periculum cum etiam sit in Ecclesiæ Ministris, videtur & illis, præcipere S. Paulus, ut omnino habeant uxores.

Respondeo. 1mo S. Paulus loquitur de Conjugatis Laicis, qui in Paganismo Uxores ductas volebant dimittere. *Respondeo 2do.* Non præcipit, sed suadet, & contrarium sæpè eodem Capite.

pite.

pite dicit, non tamen hæc persuasio ad Ecclesiæ Ministros pertinet, quibus liberum erat cultui Divino se mancipare vel non, ubi autem se liberè cultui Divino manciparunt, debent omnino cælibatum servare, quia liberè se necessitati subjecerunt.

Cultus Sanctorum.

QUæres? Estne aliquis cultus Sanctis DEI exhibendus?

Respondeo. Angeli & Sancti à Pontifice, & Sancta Ecclesia Canonizati possunt publicè; non Canonizati verò privatim à Nobis coli, non quidem cultu Latriæ, qui soli DEO convenit, sed cultu Duliæ, qui est medius inter cultum Latriæ & Civilem: Sacratissima verò Humanitas Christi & Beatissima Mater DEI, ob majorem excellentiam, quam habeant alij Sancti, cultu Hyperduliæ, hoc est præstantiori cultu, quàm sit cultus Duliæ aut Civilis. Et Probatur *ex S. Scri-*

ptura

ptura imo. ex Psal. 98 ℣ 5. *Adorate scabellum pedum ejus* (scilicet arcam testamenti) *quoniam Sanctum est.* Si ergo Arca coli potuit, quia erat sancta, solum extrinsecè, & denominativè, cur non Sancti DEI? qui sunt Sancti sanctitate intrinseca, per gratiam & gloriam, unde idem *S.* Psalmista canit Psal. 150. ***Laudate Dominum in Sanctis ejus.***

Probatur 2*do* Num. 22. ℣ 31. *Balaam vidit Angelum Stantem in via, adoravitque eum pronus in terram,* & Josue 5. ℣ 14. Cùm Josue audijt virum ante se stantem esse Principem exercitûs Domini, videlicet Angelum DEI: *cecidit pronus in terram, & adoravit*; hæc adoratio non potest dici cultus Latriæ, nec cultus merè civilis. Ergo; cultus duliæ.

Probatur 3*tio.* 1. Reg. 28. ℣ 14. *Intellexit Saul quod Samuel* (id est Anima ejus suscitata esset) *inclinavit se super faciem suam in terra & adoravit.* Non potest

test dici cultu Civili adorasse, quia is defunctis non convenit, sed vivis, Ergo eum adoravit cultu Duliæ, cum dependentia ad cultum latriæ, scilicet propter DEUM.

Objiciunt 1mo. Deut 6 ℣ 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* servire autem est colere. Ergo:

Respondeo, Aliud est servire, & aliud colere, multos enim, propter dignitatem eorum colimus, quibus non servimus. Tandem ex Græco, servire DEO, est colere DEUM, cultu Latriæ, qui cultus non exhibetur Sanctis ejus. Idem est respondendum ad illud 1 ad Tim 1 ℣ 17: *Soli DEO honor & gloria,* scilicet, honor & gloria latriæ.

Objiciunt 2*do* Matt. 4. ℣ 10. Diabolus à Christo tantum petijt juxta Græcum inclinationem, quam Christus Dominus negavit, cum soli DEO debeatur.

Respondeo. Diabolus petijt inclina-

tio-

tionem Latriæ, unde latinus textus dicit; *Si adoraveris me.* deinde, quæ comparatio Sanctorum cum Diabolo.

Objiciunt 3*tio*. Act. 10. ℣ 16. Petrus prohibuit Cornelium ſe adorare. Item ad Gal. 4. ℣ 5; exprobrat Galat: dicens: *Iis, qui naturâ non ſunt Dij, ſerviebatis.* Item Act. 14. ℣ 14. *Paulus & Barnabas vetuerunt ſibi ſacrificari.* Item Apoc. 14. ℣ 20. Joanni prohibuit Angelus ſe adorare,

Reſpondeo Ad hæc omnia Sacræ Scripturæ loca, prohiberi ſolum cùltum Latriæ, qui ſoli DEO debetur, non autem cultum duliæ.

Confirmatio.

QUæres? Confirmatio eſt ne verè Sacramentum novæ legis?

Reſpondeo Affirmativè, Eſt què Cofirmatio Sacramentum quo, baptizatis impoſitione manuum Epiſcopalium & S. Chryſmatis inunctione infund

funditur Spiritus Sanctus. & Prob: quòd sitSacramentum novæ legis *1mo* Ioan: 14 ℣. 16 Item Ioan: 15 ℣. 27 Item Ioan: 16 ℣. 8 Promittit Christus Spiritum Paracletum, qui consoletur in adversis, Spiritum veritatis, qui eos confirmet, ut intrepidè de eo testimonium perhibeant & audeant mundum arguere : qui sunt effectus Confirmationis, unde Act: 1 v, 8 Ait Christus *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs S. in vos, & eritis mihi testes &c.* Item Act: 8 ℣. 17 *Post quàm à Philippo in Samaria multi essent Baptizati, missi ad eos Petrus & Ioannes, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctum.* Item Act: 19 ℣ 6. Corinthi *cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos*

Probatur 2do Luc. 24 ℣ 49, *Sedete in Civitate, donec induamini ex alto.* ex hoc S. Scriptu: loco quamvis disertis

verbis

verbis non habeatur Confirmationis inſtitutio, ſicut & ex alijs S. Script. locis ſupra allatis, tamen evidenter colligitur, nam ad Spiritus S. gratiam communicandam, non alio medio quam manuum impoſitione uſi ſunt Apoſtoli (ecce ritus externus) adeò ut etiam magnis itineribus Petrus & Joannes Ieroſolymis Samariam, propterea proficiſcerentur, & Spiritus S. infuſio illam manuum impoſitionem mox ſequebatur (ecce gratia promiſſa) neque hoc ritu abſque Chriſti mandato uſi fuiſſe credi poſſunt. Quodq; hæc manuum impoſitio alia ſit, ab ea quæ in Sacramento Ordinis adhibetur, patet quia hæc ab omnibus baptizatis fiebat.

Confeſſio.

QUæres? Eſtne neceſſaria confeſſio peccatorum?

Reſpondeo, Confeſſio omnium

peccatorum mortalium, jure Divino necessaria est ijs qui post baptismum in peccata labuntur. Probatur 1mo Matt. 16 ℣, 19 *Tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in Cælis* Item Matt. 18 ℣. 18 *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in Cælo.* Item Ioan: 20 ℣. 13 *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* In his locis verè à Christo datur potestas non prædicandi pænitentibus remissionem, aut inpænitentibus damnationem annuntiandi; sed verè ex authoritate absolvendi aut retinendi peccata. Hæc autem potestas est judiciaria & sine cognitione causæ exerceri non potest, quare necessaria est peccatorum Confessio, ut Sacerdos tanquam judex de ijs possit cognoscere & sententiam ferre, sic hos textus

ex-

exponunt S. Chryſ Naz: Ambros: Hier: Aug: Innoc: apud Bellar. Lib. 3 cap. 2.

Probatur 2do. Act 19, ℣ 18. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos*, hunc locum de vera peccatorum confeſſione accipiunt Doctores apud Coronelium à Lápide. Item Iac: 5 ℣. 16 *Confitemini alterutrum peccata veſtra & exorate pro invicem ut ſalvemini* hunc S. Scripturæ locum explicant Beda Bern: Hug Bonav: apud Cornelium.

Probatur. 3tio 1 Ioan: 1 ℣. 9 *ſi confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & juſtus ut remittat peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate.* Hic intelligi ſpecialem Confeſſionem gravium peccatorum docent ex SS. PP. Bellarm. & Cornelius.

Porro Acatholici docent: Confeſſionem ſecretam & ſpecialem non eſſe à DEO præceptam, unde nemo ad illam cogi poteſt, ſed eſt libera, quare

in libero arbitrio quisque poteſt enumerare vel non, & pro hac erronea doctrina ſua addunt Chriſti Domini Salvatoris exemplum, qui paſsim ſine Confeſsione peccata remiſit. Verùm hoc non militat pro ipſis, nam Chriſtus Dominus, ut Author Sacramentorum, non dependebat ab inſtitutione Sacramentorum, ſed ut DEUS abſolutiſſimus Dominus peccata ſimpliciter donavit. Sacerdotes autem, ut Miniſtri dependent ab inſtitutione Sacramenti. Hancque Confeſsionem ſecretam ſeu auricularem probant S. Script. loca ſupra relata, falſumque eſt quod DEUS remittat unum peccatum ad Culpam, & non remittat aliud. *Dixi quo ad Culpam;* quia ad pænam fieri poteſt, ut legimus de S. Leone Magno Sum. Pontif. apud Baron. cui D. DEus ex revelatione S Petri Apoſtoli ei facta cætera peccata dimiſit præter impoſitionem manuum, quod ei peccatum ad purgatorium remiſit, ſcilicet pænam

nam

nam ignis Purgatorij. Et ratio est nam si DEUS peccatori unum peccatam remitteret, quoad culpam seu reatum, & aliud peccatum retineret, quoad culpam, ille peccator, & esset peccator, & non esset, quia esset amicus DEI respectu unius peccati condònati, & non esset respectu non condonati,

Duratio Ecclesiæ.

QUæres? Ecclesia visibilis prout dicit Congregationem Fidelium, durabitne usque ad novissimum diem?

Respondeo. Affirmative & non solum quò ad existentiam, sed etiam quò ad veritatem ac infallibilitatem, nec unquam deficiet.

Probatur 1*mo*. Matt. 16. ℣ 18: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hinc dicit S. Gregor. *Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam obscurari.*

2do. 1. ad Tim. 3. ℣, 15. *Ecclesia DEI vivi columna & firmamentum veritatis est*, *3tio.* Matt. 28. ℣. 20, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, cum Discipuli quibus Christus ascensurus hæc dixerat, non essent victuri usque ad finem sæculi, necessario hæc verba Christi Domini ad eorum etiam successores extenduntur. Ergo S. Ecclesia durabit ad judicium DEI. Quod etiam nusquam quò ad veritatem deficere possit.

Probatur 1*mo.* Joan. 14. ℣ 16. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis*, & Joan. 16. ℣. 13. *Cum venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Juxta quam promissionem tenetur, ut ita dicam Christus Dominus ab Ecclesia omnem in fide amovere errorem ut docet S. Aug. &c.

Probatur 2*do.* Matt. 18: ℣ 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Item Matt 23. ℣ 3

Qua-

Quæcunque dixerint vobis servate & facite. & Luc.10 ℣ 16. *Qui vos audit me audit.* Ex his verbis omnia Concilia mandant, sub anathematis pæna, ut in omnibus S. Ecclesiæ credamus; esset autem iniquum mandatum, si illa posset errare.

Objiciunt è contra Acatholici docentes: Ecclesiam quidem quæ est invisibilis non posse deficere ac errare. Nihilominus visibilem posse deficere, & fidem perdere.

Opponuntque 1mo. ex Exod cap. 32, ℣ 4 *Aaron Summus Pontifex proposuit vitulum aureum adorandum, & totus Populus clamavit: Isti sunt Dij tui Israel.* Ergo tunc tota Ecclesia cum capite suo defecit & erravit.

Respondeo 1mo. Aaron tunc nondum erat Summus Pontifex, adeoque nec erat illius Ecclesiæ Caput, nam modo primum Exod 40, ℣ 13. Unctus est in Sacerdotem, Moyses autem protunc erat Caput Ecclesiæ, sed is non defecit.

Respondeo 2do. Non totus populus tunc clamavit, nam omnes Levitæ immunes erant ab hoc peccato; ut patet ex ℣ 26. ubi Moyses ait: *Si quis est Domini jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes Filij Levi,* Tum denique Ecclesia Judæorum non habuit illam promissionem Divinam: *Et portæ inferi non prævalebunt &c.* quam habet nova.

Objiciunt 2do 3 Reg. 9. ℣ 14. *De reliquerunt pactum Filij Israel, & relictus sum ego solus.*

Respon. 1mo. Populus Israel & Judæorum non erat tunc universalis Ecclesia, nam etiam extra Synagogam erant alij Fideles, ut Melchisedech, Job, & cæteri,

Respondeo 2do: Elias non loquitur de toto Israele, sed de una parte, quæ sub Rege *Samariæ* erat. Hinc Dominus dicit ℣ 18. *Derelinquam mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal,* utique hi á Domino

mino non defecerunt. Similiter illud explicari potest. Jer. 2. ℣ 29. *Omnes dereliquistis me, dicit Dominus*, quod scilicet Propheta, per synecdochen accipiat totum populum pro parte. ita S. August. lib. Contra Donat.

Objiciunt, 3tio 2 Paralip. 15 ℣. 3, *Transibunt dies multi in israel & absque Deo vero & absque Sacerdote & absq; lege.* Ergo si Ecclesia antiqua potuit deficere quare nova non? *Respondeo.* 1mo Sacer textus loquitur tantummodo de Israele & non de Juda. 2do vel etiam videtur loqui de tempore post Messiæ adventum, quæ in Judæis hæc vera esse videmus. Ad consequentiam dico disparem esse rationem, cum nova Ecclesia habeat expressam appromissionem àChristo Dom. *Et portæ inferi &c*

Obiciunt, 4to Dan: 9 ℣. 27 *Deficiet hostia & sacrificium.* Ergo & Ecclesia.

Respondeo, Propheta loquitur de Ecclesia Judæorum cui Deus nunquam promisit fore ut nunquam deficiat si-

cut suæ Ecclesiæ Christus Matt 16 ℣, 18 ut asserunt S. Chrys: Theoph: Hieronymus.

Objiciunt. 5to Luc: 18 ℣. 8 *Filius hominis veniens, putasne? inveniet fidem in terra?*

Respondeo. Non est sermo de fide simpliciter sed de eximia quapiam fide, quæ in paucis reperitur. Sic exponunt S. Hieron: S. Augu: lib: de Unit: Eccle:

Objiciunt. 6to Tempore Passionis summus sacerdos cum omnibus sacerdotibus & senioribus populi & Universo populo erravit, cum illudMarc. 14. ℣. 64 *Condemnarunt reum esse mortis Christum: populus vero à Sacerdotibus seductus clamavit ad Pilatum Crucifige eum.*

Respondeo. 1*mo* Sacerdotes &Pontifices Synagogæ privilegium non errandi in docendo populum tantum habuerunt usque ad Christi Domini adventum.

Respondeo. 2do Non omnis populus clamabat crucifige, nam etiam tunc

Ierosolymis erant Nicodemus Ioseph ab Arimathæa, allijque multi, & multi Iudæi erant alibi dispersi qui non clamaverunt.

Objiciunt, 7mo, omnes Apostoli qui erant Episcopi Ecclesiæ, tempore Passionis fidem amiserunt sicut prædixerat eis Christus Matt. 26 ℣. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me.* Quare Marc. 16 ℣. 14, *Exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis.*

Respondeo Apostoli tempore Passionis, erant solum Episcopi designati, nec nisi materialis pars Ecclesiæ, quæ errare potuit, nondum enim acceperunt Spiritum Sanctum.

Respondeo, 2do, Non est probabile Apostolos fidem amisisse, quia Luc. 22 ℣. 32 ait Christus Petro *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*

Respondeo 3tio, ly scandalum patiemini significat peccatum fugæ non verò Apostasiam à fide.

Respondeo. 4to. Ad locum adductum Marci Evangelistæ quod tantum argu-

at tarditatem in credendo; non fidem amissam, ita apud Corn: SS. PP.

Objiciunt 8vo 3 Reg. 22 ℣. 23 *Dedit Dominus Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum qui erant quadringenti.* Ergo Ecclesia errare potest.

Respondeo. Hi erant Pseudoprophetæ (adeò quærebat Rex Iosaphat num ibi sit aliquis Propheta Domini) adeoque non pertinebant adEcclesiam.

Objiciunt 9no Isai 56 ℣. 10 *Speculatores ejus cæci omnes nescierunt universi videntes vana &c.* Si Præsules omnes qui speculatores domûs Dei nuncupantur erraverunt, Ergo & Ecclesia; cum Episcopi primario constituant Ecclesiam, & sic si antiqua Ecclesia deficere potuit & errare, a pari & nova Ecclesia deficere potuit; sicut defacto ut asseruntHæretici anteLutherū defecit.

Respondeo. 1mo Propheta loquitur Sinecdochice. *Respon.* 2do esse disparitatem, cum nova Ecclesia habeat compromissum non errandi nec deficiendi, *Et portæ inferi &c.* Eucha-

Euchariſtia.

QUæres? *1mo* Continet ne verè & realiter in ſe Euchariſtia Chriſtum Ieſum Deum & Hominem?

Reſpondeo. & Dico cum S. Romana Eccleſia, Euchariſtiam eſſe unum ex ſeptem Sacramentis, in quo poſt Panis aut Vini conſecrationem, Dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus & Homo verè realiter ac ſubſtantialiter ſub qualibet ſpecie illarum rerum ſenſibilium continetur:

Probatur *1mo* 1 ad Cor: 11 ℣. 23 *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IEſus Chriſtus, in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agens fregit & dixit: accipite & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, ſimiliter & Calicem, poſt quam cænavit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſangvine, hoc facite. quotieſcunque biberis in meam commemorationem.* Nemo controvertit hoc textu

oſtendi Euchariſtiæ inſtitutionem.

Probatur 2do Præſentia realis Corporis Chriſti in euchariſtia oſtenditur VerbisDomini apudMatt. 26℣. 26Mar: 14,℣,24,Luc. 22 ℣. 19. *Hoc eſtCorpus meum*, hic non dixitChriſtusDominus hoc ſignificat Corpus meum, ſed hoc eſt Corpus meum, vere & proprie Corpus meũ,id eſt non myſticum necCorporis mei ſignum, ſed ipſum verum & reale corpus meum, quod pro vobis tradetur in mortem; & certum eſt quia non figura Chriſti pependit in Cruce pro nobis ſed verum Corpus Chriſti, nec diceret S. Paulus. *Qui indigne manducat Panem hunc &c. erit reus Corporis Domini.* Si ſolum figuram Corporis Chriſti manducaremus. Ita omnes SS. PP. & Eccleſia Sancta a prima inſtitutione uſque ad hæc tempora intellexerunt ut videre eſt Apud Bellarminum lib. 1 Cap. 10.

Huic dogmáti Catholicæ fidei opponunt ſuam erroneam opinionem

Aca-

A catholici docentes in Eucharistia non esse vere & realiter præsens Corpus Christi, sed vel figuratè tantum ut ait Calvinus vel in sumptione solummodo ut docet Lutherus.

Objiciunt 1mo Contenduntque hæc verba *hoc est corpus meum* figurate esse inteelligenda, uti, hæc *Ego sum vitis, ego sum via &c.*

Respondeo. Communis regula explicandæ Sacræ Scripturæ à SS. Patribus datur ut nisi ab aliqua scriptura, aut articulo aliquo fidei, aut à Communi totius Ecclesiæ explicatione recedere cogamur, proprium verborum sensum nunquam dimittamus. Tandem genuinus alicujus Sacræ Scripturæ sensus, desumi debet vel ex præcedentibus, vel subsequentibus, ejusdem Scripturæ verbis, uti præfatæ Scripturæ sensus, *Hoc est Corpus meum*, desumitur à subsequentibus verbis : *quod pro vobis traditur*, quod viti, vel viæ non quadrat.

Objiciunt 2do Psal. 113. ℣ 3 dici-

tur ;

tur: *DEUS autem noſter in Cælo:* Iſaiæ 66. ℣ 2 *Cælum ſedes mea.* Ergo non eſt in Templo vel Altari per Sacramentum.

Reſpondeo 1mo, Temporibus David & Iſaiæ adhuc non erat Euchariſtia.

Reſpondeo 2do. In Cælo Dominus DEUS eſt per Gloriam, vel maximè, nam ibi gloriam Regni ſui manifeſtat, tamen extra Cælum, ubique eſt teſte Apoſtolo, Act, 17. ℣ 27. *Non longe ab uno quoque noſtrum.* Tum deniqueChriſtus Dominus appromiſit Apoſtolis & poſt eorum obitum ſuis fidelibus uſq; ad conſummationem ſæculi, fore exſtiturum, certum enim eſt, quod Apoſtoli jam in terra non vivant. Ergo nobiſcum nunc eſt, eritque cum fidelibus ſuis, uſque ad conſummationem ſæculi, non tantum per adjutorium, ſed & per præſentiam Sacramentalem, iſta enim verba: *Ego vobiſcum ſum,* de præſentia reali in terris intelligi omnino debent, ut ex Contextu S. Scripturæ patet.

Ob-

Ojiciunt 3*tio* Matt 15. ℣ 17. *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*, ſed Chriſtus non emittitur in ſeceſſum. Ergo nec in os intrat.

Reſpondeo. Sicut ante conſecrationem ſub ſpeciebus, ſine ullo ſui detrimento, non erat Chriſtus, ita corruptis in ſtomacho ſpeciebus, ſine ulla ſui læſione, deſinit ibi Corpus Chriſti adeſſe. In hoc autem textu non loquitur Chriſtus de omni quod comeditur, ſed quod ad nutriendum Corpus ſumitur. Euchariſtia autem non ad Corpus, ſed ad animam nutriendam ſumitur, cum ſit illius Cibus proprius.

Objiciunt 4to Matt: 24. ℣ 23 *Si quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic nolite credere*, conſequenter non eſt credendum eum eſſe in hoc, vel illo Altari.

Reſpondeo. Loquitur Chriſtus Dominus de Pſeudo-Chriſtis, ut contextus

ver-

verborum probat, multi enim ſunt venturi, & fuerunt jam, qui ſe Chriſtos nominabant.

Objiciunt 5to. Matt:16.℣ 11. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non ſemper habebitis.* Ergo nequaquam Chriſtus in mundo, nunc eſt in Euchariſtia præſens.

Reſpondeo. Loquitur Chriſtus Dominus de præſentia corporali & viſibili, & in eo ſtatu, in quo ab hominibus, aliquid poſsit utilitatis recipere, prout pro illo tempore recipiebat.

Objiciunt 6to Marc.16:℣ 19. *Aſſumptus eſt in Cælum, & ſedet ad dexteram DEI.* Ergo ſi eſt in Euchariſtia debebit cælum deſerere.

Reſpondeo. Non eſt neceſſe eum Cælum deſerere ut ſit in Euchariſtia, ſicut quando Act.9 ℣ 5. *Paulo apparuit in via, Cælum non deſeruit, ſed per omnipotentiam ſuam multiplicavit præſentiam ſuam, ita ut ſimul ad dexteram Patris eſſet in Cælo & via Damaſci.*

Ob-

Objiciunt 7mo. Luc.24 ℣ 34. *Palpate & videte, quia ſpiritus Carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere.* Sed in Euchariſtia palpari nec videri poteſt. Ergo ibi non eſt credendus eſſe.

Reſpondeo, Affirmative, bene concluditur ſic: *Hoc palpatur & videtur, ergo Corpus præſens eſt.* Non vero negative: Hoc non palpatur nec videtur. Ergo nec Corpus, nec præſens eſt Nunquid Luc.4 ℣ 30. Quando tranſiens per medium illorum ibat, qui eum de monte præcipitare volebant videbatur aut palpabatur, & tamen Corpore fuit præſens, tunc inter illos.

Objiciunt 8vo. Joan. 6.℣ 64 *Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quidquam.* Hic clare dicitur Chriſti Corpus non corporaliter ſed ſpiritualiter manducandum.

Reſpondeo. Non loquitur Chriſtus Dominus de Carne ſua; ſed de Carnali intelligentia Capharnaitarum, qui putabant Carnem Chriſti, manducan-

dam

dam ad modum alterius Carnis. Nam ſibi eo ipſo contradiceret, dum ait ℣. 54. ibidem: *Niſi manducàveritis Carnem Filij Hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Ubi hoc verbum *manducare* propriè ſumit. Quapropter juxta Doctorem Angelicum, Sacramentum Euchariſtiæ effectum ſuum cauſat, in ipſa ſumptione, *comedite & bibite.*

Objiciunt 9no Joan. 12, ℣ 26, *Ubi ſum ego, illic & Miniſter meus erit,* dicit de ſe Dominus, ſed Sancti non ſunt in Euchariſtia. Ergo neque Chriſtus.

Reſpondeo. Non dixit Chriſtus Dominus *ubicunque ſum ego,* ſed *ubi ſum* pro quo ſatis eſt, ſi alicubi ſint, cum Chriſto Domino Sancti ejus, nempè in Cælo.

Objiciunt 10mo: Joan, 16. ℣ 28. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Reſpondeo. Intelligendum eſt, quoad converſationem humanam, quæ converſatio viſibilis, non impedit alium præſentiæ modum, uti ſpiritualem &

in-

inviſibilem, Corpus enim Chriſti e-ſto, ex ſe eſt viſibile, ſenſibile, exiſtit nihilominus in Euchariſtia inviſibiliter præſentia ſpirituali, ſcilicet indefinitè, ut dicunt Theol &c.

Objiciunt 11mo. Act.17.℣ 24. *Deus non in manufactis templis habitat* Ergo Chriſtus Dominus, qui eſt DEUS verus, non manet in templis, conſequenter, nec in Euchariſtia, quæ in templis conſervatur.

Reſpondeo Hoc & ſimilia alia loca S. Script. intelliguntur, de Divinitate, quæ licet ſit ubique, tamen non indiget loco, quam indigentiam, hoc verbum habitare infert.

Objiciunt 12mo. *Panis quem frangimus* (dicit S. Paulùs 1.adCor. 10 ℣16) *nonne participatio Corporis Domini eſt;* Si eſt Panis, ergo non eſtCorpus Chriſti.

Reſpondeo, 1*mo* Vocatur Panis juxta externam ſpecierum apparentiam quod S. Script, eſt familiare.

Reſpondeo. 2*do*.Phraſi hæbraica omnis

omnis

omnis Cibus generatim panis vocatur, quare & noſtri Poloni dum ſe adinvicem pro prandio invitant, dicunt invito pro pane, quamvis plus ſumant de Carnibus quam de Pane.

Objiciunt 13 Ad Coloſſ. 3 ℣. 1 *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Ergo non eſt quærendus in Euchariſtia cum ſolum ſit in Cælo.

Reſpondeo. S. Paulus non intelligit elevationem ad locum corporalem ſed abſtractionem à rebus terrenis & curis hujus vitæ ad Deum, alioqui Aſtrologi omnium hominum pijſſimi eſſent, qui ſemper animo & oculis inter ſidera verſantur.

Quæres ? 2do An conſecratione peracta, ſit Corpus Chriſti ſub ſpecie panis ſive ſumatur, ſive in pixide conſervetur ?

Reſpondeo, Cum S. Romana Catholica Eccleſia affirmative.

Probatur 1*mo* hæc indubitata veritas

ritas Matt. 26 ℣. 16 dicit Chriſtus Dominus. *Hoc eſt corpus meum* hæc verba mox ubi à Chriſto prolata ſunt, fuerunt vera, ſed fuerunt ante manducationem prolata, Ergo etiam ante manducationem fuerunt vera. Sicquè verè ſub ſpeciebus Sacramentum Corporis & Sangvinis Chriſti etiam ante manducationem exiſtit: hinc S. Aug: dicit tract. 80 in Ioan: *Accedit Verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

Probatur 2do 1 ad Cor: 10 ℣, 16 dicitur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sangvinis Chriſti eſt; & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt.* Hinc apertè Paulus dicit, prius Panem & vinum conſecrari quàm frangatur & diſtribuatur, unde S. Chryſoſtomus in illum locum ait. *Quid eſt in Calice? Reſpondet.* 1 *Quod ex latere Chriſti fluxit.* Vide Bellar: hic lib: 4 C. 2 Denique malè & erroneè à tota Eccleſia & omnibus Sanctis Patribus diceretur Sacra-

mentum Altaris, ſi modò manducando fieret Sacramentum, ſed dici deberet Sacramentum gutturis aut manducationis.

Objiciunt, Lutherani 1mo Matt. 26 ℣. 26 Dicitur: *Accepit Ieſus panem & benedixit, ac fregit, deditquè Diſcipulis ſuis & ait, accipite & comedite. Hoc eſt corpus meum.* Hic Dominus prius manducationem imperat, antequam conſecret, Ergo ſicut diſtributionem immediatè ſecuta eſt verborum prolatio, ita & converſio Panis in Chriſti Corpus.

Reſpondeo, Licèt Evangeliſta juxta literam prius narret diſtributionem & manducationem, quàm verborum prolationem, non tamen credendum eſt hoc ordine peractam, quia verba conſecrationis continent rationem, quare deberent manducare hunc panem Euchariſticum, nam Manducationem panis, debet antecedere panis, & prius eſſe, quàm manducetur.

Objiciunt

Objiciunt 2do Sacramenta pendent à Divina inſtitutione, ſed Dominus inſtituit Euchariſtiam ut manducare: tur, non autem ut in pixide ſervaretur, ergo non eſt Sacramentum, niſi cum manducatur.

Reſpondeo. Dominus non juſſit, ut continuò peracta conſecratione manducaretur: ſed juſſit conſecrari ad eum finem, ut manducaretur, quod fit licet in pixide ſervetur. Deinde non prohibuit ſervari in pixide & altari, ut tempore oportuno manducetur. Quod autem ipſemet nullam particulam in ultima cæna reſervaverit, quia nullum fidelem infirmum fore præviderat, uſque ad primam Miſſam S. Petri Vicarij ſui, quam poſt adventum Spiritus S celebravit. Tum quia illo periculoſo tempore non erat congruùm ſervare hoc Sacramentum, quod & nunc practicatur, quando adeſt hoſtilitatis metus. Tum quia hanc Sa-

cramenti hujus reſervationem commiſit Eccleſiæ ordinationi.

Quæres 3tio? An ſit neceſſe ſumere Euchariſtiam ſub utraque ſpecie?

Reſpondeo. Negativè cum in qualibet ſpecie inveniatur tota eſſentia & ratio Sacramenti, ita ut hoſtia conſecrata ſive in templis aſſervatur, ſive à Laicis ſumitur, dici non poſſit dimidiatum, ſed propriè integrum Euchariſtiæ Sacramentum.

Probatur 1*mo* Ex Matt. 26 ℣ 26 *Hoc eſt Corpus meum*, certum autem eſt Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia vivum ut ptt. ex Epla ad Rom. 6 ℣. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur.* Quare non eſt Corpus exanime ſed vivum? non enim exanime conſecravit, ſed animatum, quapropter adjecit, *quod pro vobis tradetur.* & traditum fuit vivum non mortuum. Si ergo ſub ſpecie panis eſt Corpus vivum Chriſti, utique totus ibi eſt Chriſtus. Idem dicendum de ſangvine qui vivus eſſe creditur non exanimis.

Pro-

Probatur 2do Joan. 6 ℣. 52 *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum* Item ℣. 50 *Hic est Panis de Cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur.* Item ℣. 57 *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Item ℣. 58 *Qui manducat me & ipse vivet propter me* quos textus ex Cap, 6 Ioan: plerique SS. Patres cum Ecclesia S. Catholica intelligunt de Eucharistia seu Corpore Christi sub una specie panis contento, in istis enim præfatis textibus Christus Dominus ostendit ad salutem æternam sufficere unam speciem, cum non faciat mentionem alterius, & tamen promittit vitam æternam.

Probatur 3tio. 1 ad Cor. 2. ℣ 27. *Quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini, indignè &c.*hic clarè loquitur Apostolus, non de necessaria sumptione, utriusque speciei, sed de alterutra,quod ex particula,*vel*,quæ est disjunctiva ostenditur. Ergo Communio sub utraque specie,non est necessaria.

Objiciunt 1mo Hæretici dicentes: Chriſti Domini eſſe præceptum ſub utraque ſpecie communicare, conſequenter in una ſpecie, totum non haberi Sacramentum, & imprimis pro ſuis Sacramentis, adducunt locum S. Script: Joan. 1. ℣ 34. dicitur: *Niſi manducaveritis Carnem Filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc conjunctio *niſi* ſignificat præceptum;

Reſpondeo 1mo: Præcipitur res ſcilicet Sacramentum ſumendum, non vero modus ſumendi, videlicet omnino ſub utraque ſpecie. Quinimo dum ſumitur Corpus Chriſti ſub una ſpecie, ſcilicet Panis, eo ipſo per Concomitantiam ſumitur, & Sanguis Chriſti Domini.

Reſpondeo 2do· Particula *&* in ſcriptura ſæpè ſumitur disjunctivè, pro *vel*, ut ſit ſenſus, niſi vel manducaveritis; vel biberitis &c. quare ſumere ſub utraq; ſpecie hoc Sacramentum,

re-

reliquit Dominus beneplacito, ac dispositioni Sanctæ Matris Ecclesiæ, ubi adesset aliqua necessitas, sumendi illud sub utraque specie. Nec legitimè concludunt Hæretici: Christus Dominus instituit Sacramentum Calicis, ergo omnes sumere hoc Sacramentum tenentur; Nam etiam instituit Sacramentum Matrimonij, & tamen omnes sub peccato mortali non tenentur illo ligari, instituit Episcopalem Ordinem, & similia, quæ licet sint instituta à Christo Domino, non tamen præcepta sub peccato mortali.

Respondeo, 3tio S. Aug: dicit *multa in scripturis esse præcepta quæ non per singulos, sed aliquos sunt implenda, inter quæ est illud: Crescite & multiplicamini.*

Objiciunt 2do Matt. 26 ℣, 27 *Bibite ex hoc omnes.* Ergo præceptum est ad omnes.

Respondeo. ly Omnes, non sumitur universalissimè pro omnibus hominibus, alioquin & Turcis Iudæis, &

Æthnicis, & infantibus, & Abſtemijs, oporteret dare calicem ad bibendum, ſed ſumitur pro ſolis Apoſtolis, ibi præſentibus, quibus nimirum dum Calicem propinaret, mox adjunxit: *Bibite ex eo omnes:* ſeu ut aſſerit S. Lucas: *dividite inter vos:* quaſi ſenſus eſſet verborum Domini, ita bibite ex hoc Calice, ut pro omnibus ſufficiat, cur autem non dixerit manducate ex hoc omnes ſed dixerit. *Bibite ex hoc omnes* Ratio eſt quia non dabat unum panem, ex quo omnes manducarent, ſed in tot partes fractum, & diviſum quot illorum erant, è contra autem dabat unum Calicem, ex quo omnes biberent; hinc monebat, ita ex uno, eodemque Calice bibendum à ſingulis, ut ſufficeret pro omnibus, ut ſupra diximus.

Objiciunt 3tio Luc: 22 ℣. 19 dicitur: *Hoc facite.* Hic Chriſtus Dominus præcipit ut Apoſtoli eadem facerent, quæ ipſe Circa Euchariſtiam fecerat,

ſed

sed Christus Dominus , non solum Consecravit, sumpsit, sed & distribuit præsentibus utramque speciem, Ergo &c.

Respondeo. S. Lucas hæc verba, solùm ponit, post datum Sacramentum panis, neque post Calicem porrectum repetit: unde Colligitur, non voluisse Christum omnibus Calicem exhiberi, ut necessarium ad salutem: nec probát quidquam particula *similiter Calicem &c.* nam illud *similiter* refertur ad *accepit, benedixit*; ut sensus sit sicut accepit, & Benedixit panem, ita accepit, & Benedixit Calicem.

Objiciunt 4to. 1. ad Corinth: 11 ℣. 23 dicitur *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis &c.* Ecce traditio Apostolica, quia tradidit Sanctus Paulus discipulis suis utramque speciem, ad sumendum.

Respondeo. *ly tradidi*: non significat, dedi vobis, utramque speciem ad sumendum, sed significat exposui vo-

bis historiam, de Sacramenti institutione. Deinde, non negamus ab initio Ecclesiæ, licitum fuisse usum hujus Sacramenti sub utraque specie; iste enim usus, dependet a libera S. Ecclesiæ ordinatione.

Objiciunt 5to Loco citato ℣. 25 Apostolus etiam ad Calicem apponit præceptum: *Hoc facite*: sicut & ad Panem. *Respondeo.* Ad Panem apponit absolutè, ad calicem vero conditionatè: *hoc facite quotiescunque bibetis.* Vide Bellar: hic libr: 4 cap: 25 Denique advertendum est, quod S. Paulus, mox post ista verba: *hoc facite quotiescunque bibetis*: dicat. *Itaque quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè &c.* ex quibus verbis clarè constat Communionem sub utraque, aut sub una specie esse ad placitum, & dispositionem Sanctæ Ecclesiæ, hæc enim particula *vel*, non est copulativa, sed disjunctiva.

Fir-

Firmitas Justificationis.

DUo circa hunc titulum exſtant exanimanda , Primum. per quid juſtificatur homo? 2dum , Utrum homo poſſit eſſe certus, de ſua juſtificatione, ac firmus ſine ulla formidine in oppoſitum ?

Quantum ad primum Dico: Homo juſtificatur fide, non tamen ſola , ſed cum aljis virtutibus, ſcilicet timore, ſpe, Charitate, pænitentiæ Sacramento , & propoſito vitæ novæ. Ita Tridentinum Ses; 6 cap. 6 &c. .

Probatur. 1*mo*, ex S. Script: Iac: 2 ℣, 24. *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum;* hanc Epiſtolam pro Canonica , accipiunt cum tota S. Eccleſia SS. Patres, quamvis proteıvè Hæretici hanc Epiſtolam Sacram rejiciunt.

Probatur, 2do de Fide ad Hæbr: 1

℣, 6 *sine Fide, impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum.* Item ad Hæbr 2 ℣. 4. *Iustus in fide sua vivit*, hinc fides a SS. Patribus vocatur origo justitiæ, janua in vitam.

Probatur, 3tio de timore: Eccl: 1*mo* *Qui sine timore est, non poterit justificari.* & ℣, 27, *Timor Domini, expellit peccatum*: hinc S. Aug: apud Bellar: ait *Nunquam accidit, ut quisquam, veniat volens fieri Christianus, qui non aliquo timore Dei sit perculsus.*

Probatur. 4to, de spe, Prov. 28 ℣ 26 *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Psal. 50 ℣. 40 *Eruet eos a peccatoribus & salvabit eos, qui speraverunt in eo* Matt. 9 ℣. 2 *Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.* hinc S, Aug: apud Bellar: *nemo* (ait) *potest benè agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.*

Probatur, 5to, de Charitate Luc: 7 *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ad Galat. 6 ℣, 5, *Neque Circumcisio aliquid valet, sed fides,*

quæ

quæ per Charitatem operatur. 1 Ioan. 3, ℣, 14. *Translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus Fratres, & qui non diligit, manet in morte.*

Probatur, 6to de Pænitentia, Act: 11. *Et gentibus dedit Deus pænitentiam ad vitam.* 2 ad Cor: 10. *Quæ secundum Deum tristitia est, Pænitentiam in salutem stabilem operatur.* Ezech: 18 ℣. 21 *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, & non morietur.* Luc: 13 ℣. 3 *Nisi pænitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Probatur; Ultimo. de Baptismo: Ioan: 3 ℣. 5 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Cælorum.* Ergo Fides sola non sufficit ad vitam æternam, ut dicunt Hæretici, docentes Fidem solam, excluso omni alio opere, hominem justificare.

Objiciunt, 1 ad Rom: 3 ℣. 27 *Ubi est gloriatio tua* (Judæe quâ tibi arrogas justitiam) *Exclusa est, per quam*

legem? factorum? non, sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per Fidem, sine operibus legis. Item ad Rom. 4 ℣. 2 *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

Respondeo. Apostolus in primo loco loquitur de operibus veteris legis, uti ex sequentibus verbis patet, & de Fide, quæ gratiam, spem, Charitatem, & alias supra nominatas virtutes complectitur. In 2do loco, loquitur de operibus, ante fidem solis naturæ viribus factis, ita S, Aug: hic apud Bellarminum.

Objiciunt, 2do, 2, ad Gal. ℣. 16 *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi solùm per Fidem Iesu Christi.*

Respondeo 1mo: loquitur de operibus legis antiquæ.

Respondeo 2do: Particula *nisi* male intelligitur, quod scilicet per solam fidem homo justificetur, cum apud Latinos idem sonet quod particula, *sed*, ut sensus sit, non justificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Chti-

Christi, per quam particulam, non excluduntur opera bona

Objiciunt. 3tio: ad Eph: 2 ℣. 9 *Gratia Dei salvati estis per Fidem, non ex operibus*. Ergo sola Fides salvat omnes.

Respondeo, Apostolus solùm excludit opera bona, sine fide & gratia facta. Tum etiam, non loquitur de salvatione per gloriam, sed per gratiam, quasi diceret: gratiâ Dei, Fideles facti estis, & non de operibus vestris; cum gratia sit principium merendi, ut dicit Tridentinum.

Objiciunt 4to ad Philip: 3 ℣. 9. Dicit S, Paulus de se *ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, qua ex lege est* (intellige per opera) *sed illam, qua ex Fide Christi* (scilicet sine operibus.)

Respondeo. Fides Christi non excludit opera bona, sed ea includit. S. Aug. apud Bellarm: Denique loquitur Apostolus, de operibus legalibus; uti circumcisione, & alijs post Christi Domini ascensionem.

Objiciunt 5to Luc: 7 ℣. 50, *Fides*

tua

tua, te salvam fecit. Ioan: 1 ℣, 12 *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius.* Item Ioan: 3 ℣, 36. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.* Ad Rom: 5 ℣. 1 *Iustificati ex Fide, pacem habeamus ad Deum.*

Respondeo. Præfatæ Sacræ Scripturæ, loqvuntur de justitia radicali; radix enim et initium justitiæ, est fides, juxta S. Paulum dicentem: *accedentem ad Deum oportet credere*; etsi in istis locis Sacrarum Scripturarum non fiat expressa mentio bonorum operum, nullus tamen SS. PP. de sola fide prænominatas S, Scripturas accipit.

Objiciunt 6to, Luc: 8 ℣, 50 *Crede tantum, & salva erit* (scilicet) *Filia tua.* Ergo sola fides salvat homines.

Respondeo. Nego suppositum, nam hic, non de salute animæ, sed Corporis Christus Dominus loquitur, jam verò hic controversia procedit de salute animæ, an per solam fidem habeatur? præterea in hoc loco Domi-

nus

nus de sola fide loquitur, in ordine ad miraculum in excitanda Jairi filia: ad miracula enim impetranda sola fides sufficit, cum miracula ex se non justificent.

Objiciunt 7mo, Ioan: 3, ℣, 16, *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Respondeo. Particula *omnis* cum non explicatur â S. Aug: apud Bellarm: per *nemo* (scilicet) *ut nemo, qui credit pereat* deducitur, quòd quidem fides est necessaria, ad salutem, sed non sola, vel quod sola sit radix justificationis. Quo ad 2dum Dico & Concludo: sine speciali revelatione, nemo potest esse firmus, ac certus, firmitate, ac certitudine fidei, cui nullo modo possit falsum subesse de sua justificatione scilicet sibi esse pro certo remissa peccata. & Probatur 1mo Prover. 20 ℣. 9 *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à pecato?* non dicit *neminem esse mundum corde,*

quia

quia Christus Dominus testatur posse inveniri mundos corde. Matt.4. *Beati mundo corde quoniam DEUM videbunt*, sed dicit neminem posse dicere esse mundum.

Probatur 2do Ezech. 9. ℣ 1. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu DEI, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*: hunc textum S. Scripturæ ad literam sumit S. Hieronymus.

Probatur 3tio. Eccl. 5. ℣. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu &c. & ne dicas miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur*: clarissimus est textus contra eos, qui se dicunt certos esse de justitia modò fidem habeant.

Probatur 4to. Job. 9. ℣. 20. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*, hæc si certa fide no-

novisset Job, se esse justum, sine mendatio dicere non potuisset.

Probatur 5to. Psal. 18. ℣, 13. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Qui locus non tantùm de venialibus, sed & de mortalibus intelligi debet, ita Hieronymus, Bernardus.

Probatur 6to, 1 ad Cor. 4. ℣. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me Dominus est.* Quasi diceret S Paulus, Fortè Dominus DEUS videt in Conscientia mea latere, quod ego non video, sic exponunt Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, apud Bellar.

Objiciunt Acatholici: docentes, Fideles non solum posse, sed etiam debere certa fide statuere, sibi peccata esse remissa, modò firma fide justitiam Christi, sibi imputatam apprehendant, & adducunt pro se nonnullas S. Scripturas, uti Ioan. 13. ℣. 15. *In hoc cognoscent Omnes, quia Discipuli mei estis, si di-*

lectio-

lectionem habueritis ad invicem : si alij possunt cognoscere de nobis , ergo & unusquisque de seipso.

Respondeo Christus ponit signum quo exterius possunt alij cognoscere quis sit Christi Discipulus,non tamen certò et fide Divina , sed humana & conjecturali, hâc distinctione omnes solvendæ sunt objectiones.

Objiciunt, 2do Ioan: 14 ℣, 20 *in illo die, vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo , & vos in me , & ego in vobis.* Ergo omnis fidelis certo sibi persvadere debet, quod sit justus, cum valeat cognoscere se, manere in Christo.

Respondeo. In hoc loco juxta S. Aug: & Cyrill: hic loquitur Christus Dominus, de cognitione beata, post hanc vitam. Denique si contendatur loqui eum de hac vita, explicatur de Ecclesia, in qua, quia sumus per fidem, cognoscimus Christum esse in nobis, sicut est in Ecclesia cujus ipse est Caput, & nos membra ejus. Hic adver-

te

te: aliud est, se cognoscere manere in Christo per fidem, & aliud, per gratiam manere in Christo, nemo enim scit, an odio, an amore Dei, dignus est.

Objiciunt 3tio ad Rom: 3 ℣, 22 *Justitia Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt in eum.*

Respondeo Apost: loquitur de justitia quæ habetur per fidem in baptismo non verò per gratiam; potest enim post baptismum manere in fideli fides & non gratia quæ per omne peccatum mortale amittitur, unde possum de me scire saltem scientia naturali quod sim fidelis non verò quod sim justus.

Objiciunt, 4to ad Rom: 8 ℣. 5 *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater: ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quod simus Filii Dei.* Si ergo Spiritus Sanctus testimonium dat nobis quod simus Filij Dei, certi profectò sumus quod simus justi.

Respondeo 1mo. Interpretes Latini di-

dicunt non intelligi per testimonium Spiritus S, revelationem, sed internam aliquam svavitatem & pacem quæ est tantum signum conjecturale.

Respondeo, 2do Interpretes Græci dicunt, illud testimonium Spiritûs S. non esse nisi motionem aliquam internam qua incitamur, *Pater* confidenter dicere,an autem illa motio interna sit à Spiritu S, semper; non constat nobis fide Divina, cum etiam Magni peccatores ex aliqua motione interna dicant *Pater noster*,non tamen sunt justi pro certo.

Objiciunt 5 ad Rom: 8 ℣: 38, *Certus sum, quia neque mors*, &c. *poterit nos separare à charitate DEI.*

Respondeo. S. Aug: sic explicat, certum esse omnes prædestinatos in Charitate perseveraturos, de nullo autem, in hac vita certi sumus, an sit prædestinatus. SS. autem Ambrosius, Hieronymus, & alij per *certus sum* : intelligunt confidentiam, ac certitudinem

con-

conjecturalem. Denique S Paulus de seipso dicit: *Ego sum certus,non vero de omnibus nobis, quod certi simus.*

Objiciunt, 6to 1 ad Cor 11, ℣. 28 dicit S. Paulus *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat:* id est consulat, ac videat conscientiam suam, si est in gratia. Si ergo probare nos possumus utrum simus in gratia, consequenter certi possumus esse.

Respondeo. S. Apostolus non loquitur de certitudine in gratia de fide Divina, sed conjecturali ex sufficienti conscientiæ discussione.

Objiciunt 7mo 1 ad Cor: 1 ℣, 12, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

Respondeo, Conscientiæ testimonium, magnam quidem parit lætitiam & gloriam, sed non certitudinem fidei de justificatione, unde idem dicit S. Paulus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum,* ut enim supra diximus

mus, sunt peccata & occulta, quæ latent conscientiam nostram.

Objiciunt, 8vo, 1, Ioan: 3. ℣, 14 *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus Fratres.* Item Cap. 3 ℣, 14, *Scimus quoniam ex DEO sumus.*

Respondeo S. Ioannes loquitur quidem de se, non tamen secundum fidei certitudinem, vel si loquatur secundùm fidei certitudinem, id locutus est, ex revelatione Speciali Dei.

Glossa Sacræ Scripturæ.

DUo sunt hic examinanda 1*mum* An. S. Scriptura glossâ seu interpretatione indigeat? 2dum cui convenit ponere glossam, seu interpretari S. Scripturam?

Respondeo, ad 1*mum* S. Scriptura multis in locis satis est obscura, & perquam difficilis, ut reverà interpretatione seu glossâ egeat.

Probatur 1*mo* Luc. 24 ℣, 27. *Inter-*

terpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ſeipſo erant. Et ℣, 45 *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Si autem S. Scriptura omnibus & ſingulis viris & mulieribus, tam aperta eſt, & facilis ad intelligendum, cur Diſcipulis Chriſtus Dominus debuit eam interpretari, & ſenſum illius aperire.

Probatur. 2do Act. 8 ℣. 30 & 31 Eunuchus Candacis Reginæ, Iſaiam legens, à Philippo interrogatus: *Poteſne intelligere quæ legis?* Reſpondit. *Et quomodo poſſum niſi aliquis oſtenderit mihi?* de hoc textu ſcribit S Hieronymus Epla 1. ℣. 3, *Venit Philippus, oſtendit ei JEſum, qui clauſus latebat in litera &c.* ut intelligeres te in Scripturis S. ſine prævio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi.

Probatur 3tio: 2 Petri 3, ℣, 16 *In omnibus Epiſtolis Paulus loquens, in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant.*

Hoc

Hoc textu adeò clarè scriptum est scripturam Sacram esse obscuram, ut nemo SS. PP. aliter exponat.

Objiciunt 1mo Hæretici docent è Contrario S. Scripturam ipsam perse esse certissimam, apertissimam, ut nullius egeat interpretatione. Deut: 30 ℣, 11, *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in Cœlo situm, neque transmare &c.*

Respondeo. hoc loco agitur de facilitate adimplendi præcepta decalogi, ut patet ex contextu· sic ait Tertulianus lib. 4 contra Martionem. Abulensis, ait in hoc loco, solum loquitur Moyses de facilitate cognoscendi præcepta decalogi, non verò Scripturam Sacram intellidendi, præsertim obscuram.

Objic 2do. Psal. 18. ℣ 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos,* Et Ps. 105. *Lucerna pedibus meis, verbum tuum.* Item Prov.6.℣. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.*

Respondeo, 1mo his locis agitur de præ-

præceptis Decalogi, quæ & facilia sunt intellectu, & intellecta hominem dirigunt in operando.

Respondeo 2do. Verbum Dei revelatum ubi fuerit intellectum illustrat mentem. Esto enim Verbum Dei idem sit, quod & S. Scriptura, hoc tamen non illuminat, nisi prius ostensum, sicut nec lucerna illuminat occlusa.

Objiciunt 3tio 2 Petri. 1, ℣, 19 *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquàm lucernæ lucenti in Calliginoso loco.*

Repond. Prophetarum voces, vocantur lucerna, non quod facile intelligantur, sed quod intellectæ illuminent, ita Bel:

Objiciunt. 4to 2 ad Cor: 4 ℣, 3 *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in ijs qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius sæculi excæcavit oculos infidelium:* Si Igitur Juxta Apostolum Infidelibus Evangelium est opertum. Ergo fidelibus est apertum.

Respondeo. Per Evangelium non intelli-

telligit Apostolus scripturam ipsam Sacram, sed mysteria Evangelij, uti sunt Christi Nativitas, Passio, Resurrectio, &c. quæ latent Infideles, & esto fideles ea mysteria non ignorant, non tamen ea clarè percipiunt, nisi solum per revelationem.

Ad 2dum qæsiti punctum. Dico: Infallibilis S. Scripturæ interpres quo ad sensum literalem & genuinum, est Spiritus S. qui in Ecclesia & summo Pontifice ut Ecclesiæ Capite invenitur, non verò quem quisvis privatus sibi fingit ita Concil: Trident: Ses: 4. & Pbr: 1mo Eccl: 45 ℣. 31 *Dedit illi* (Intellige Aaroni qui erat summus Pontifex) *in præceptis suis potestatem, in testamentis Judiciorum docere Jacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel,* quid clarius hac S. Scriptura.

Probatur, 2do Act: 15 ℣. 5 Cum orta esset disceptatio inter Discipulos, an gentiles ad Christum conversos obligaret lex Moysis; S. Petrus qui

erat

erat in ordine primus Apostolus, cum Concilio Apostolorum Ierosolymæ habito decidit dicens: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.* hinc Theodoretus Episcopus ad Leonem Papam ait: Si Paulus tuba Spiritus S, ad Petrum cucurrit ut ab ipso afferret solutionem, multo magis, nos pusilli ad Apostolicam vestram sedem currimus. Ex Diametro Acatholici docentes Spiritum S. non esse alligatum Ecclesiæ aut summo Pontfici, aut Concilio Episcoporum sed cuilibet fideli. &c

Objiciunt, 1mo Isai 5 ℣. 13 *Dabo universos filios tuos doctos &c.*

- *Respondeo*, 1mo. multos Judæos uti ante, sic & nunc simplices & indoctos fuisse. & esse.

Respondeo, 2do Loquitur de gratia Spiritus Sancti quâ homo interius à DEO movetur & svaviter impellitur ad credendum, & amandum; uti exponit S Aug quod præcipue fiet ante, diem jnditij tunc enim erit unicum ovile, una fides, & unuPsastor & reliquiæ

Iſrael convertentur, ad Deum, adeoque univerſi erunt docti à Domino.

Objiciunt, 2do *Nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.*

Reſpondeo. Non prohibet in Eccleſia magiſtros, qui Scripturas explicent, ſed ambitionem illius nominis vetat. Nonne & S. paulus 2 ad Tim: 1 ℣, 11 ſe vocat Magiſtrum Gentium.

Objiciunt, 3tio, Ioan: 5 ℣, 34 *Ego non ab homine teſtimonium accipio.* Ergo nec ſcripturæ egent Pontificis, aut Concilij teſtimonio.

Reſpondeo. Chriſtus ait ſui cauſa non egere ſe hominum teſtimonio, non tamen negat ſe noſtri cauſa indigere, cum Joan: 1. ℣, 7 dicat: *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.*

Objiciunt 4to. Joan. 10. ℣ 27 *Oves meæ, vocem meam audiunt.* Ergo præter Chriſtum neminem audire fideles debent,

Reſpondeo. Minimè hic Chriſtus Dominus

minus excludit alios cum Luc. 10. ℣. 16. dicat: *Qui vos audit, me audit*, sed solùm excludit fures? id est Hæreticos, Tum denique hoc in loco loquitur de vocatione ad suum ovile, ut ait S. Aug.

Objiciunt 5to: Act 17. ℣. 11: Beræani *susceperunt verbum cum omni aviditate quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent, quæ Paulus prædicabat*: atqui hi non erant Doctores Sacerdotes, sed simplices & privati homines:

Respondeo 1mo. Illis nondum constabat Apostolum non posse errare, Christianis verò constat Ecclesiam non posse errare.

Respondeo 2do. Non illicitum est privatim scripturas scrutari veritatis causa, non tamen est licitum, eas scrutari depravandi causa.

Objiciunt 6to: 1. Ioan, 2. ℣. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio eius docet vos de omnibus*, Ergo præter Spiritum S. & ejus internam il-

luminationem, nullus est admittendus interpres S. Scripturæ.

Respondeo. S. Joannes non dicit, nullum eos de cognitione rerum fidei debere admittere Doctorem, sed monet circa ea, quæ jam didicerunt, non debere eos audire alios contraria docentes. Vide Bellarminum Tomo 1mo. Controv.

Jejunium.

Circa præsentem titulum duo sunt inquirenda! *Primum*: an sit licitum & meritorium jejunare? *2dum*: an jejunia ab Ecclesia constituta sint servanda sub peccato?

Respondeo Quoad 1mum & dico: licitum omnino, & meritorium opus est jejunare. Ita Catholici contra Lutherum, Calvinum: Patet ex utraq; S. Script. tam Veteris, quam Novi Testamenti, unde 2. Paralip. 20. dicitur: *Josaphat timore perterritus, totum se contu-*

lit ad rogandum Dominum , & prædicavit jejunium universæ Judææ. Joël. 3. *Convertimini ad me, in toto corde vestro, in jejunio & fletu.* & Matt. 6 *Tu autem cum jeiunas, unge Caput tuum.* Denique Apostoli Sancierunt, ut Jejunium Quadragesimæ servaretur à Christi Fidelibus , unde S Hieronymus Epist. ad Marcell. ait: *Unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum , toto anni tempore nobis congruo reservamus.*

Objiciunt Hæretici 1mo. Jejunium est signum hypocrisis & infidelitatis, nam 1. ad Tim 4. dicitur , *in novissimis temporibus, discedent quidam à fide , attendentes spiritibus erroris &c prohibentes nubere, abstinere à cibis.*

2do DEUS jejunium vilipendit : nam Isaiæ 58. dicitùr : *Nunquid tale est jeiunium quod elegi , per diem affligere hominem, animam suam &c. nunquid istud vocabis jeiunium, & diem acceptabilem Domino ? nonne hoc est magis jeiunium quod elegi ? dissolve colligationes impietatis, solve*

fasciculos deprimentes, ac si diceret DEUS, optimum est jejunium, abstinere à peccatis.

Respondeo ad 1mum: locum citatum non ad Catholicos jejunantes, sed Hæreticos Priscos, Marcionistas, & Manichæos spectare; qui nuptias tanquàm malas, & certos cibos tanquàm immundos, penitùs abhorrebant pro omni tempore, eo quòd putarent eos ex natura esse malos, & abominandos, quòd non faciunt Catholici, certis duntaxat temporibus, tum ex præcepto Ecclesiastico, tum ex virtute abstinentes à carnibus.

Respondeo ad 2dum. DEUM apud Isaiam loco citato non vilipendere illa jejunia, quæ à se, & Sanctis Prophetis constituta fuêre, sed tantùm vituperat modum jejunandi Judæorum, qui abstinendo à carnibus, non abstinebant â vitjis: DEUS autem utramque abstinentiam, à nobis omnibus desiderat,

Re-

Respondeo od 2dum negando suppositum ; nam Ecclesia præcipiens jejunia vult ea fieri cum moderamine , salva scilicet sanitate , & certè experientia constat, jejunia esse medicinam singularem Corporum.

Quantum ad 2dum quæsiti punctum: *Respondeo* : Christi Fideles sani,& potentes jejunare, obligantur sub peccato , uti tempore Quadragesimæ, Quatuor temporum, alijsque diebus , ab Ecclesia constitutis, hæc assertio est contra Lutheranos , Calvinistas &c. Nam Ecclesia habet jus indicendi jejunia, non minus quàm olim Synagoga, & Prophetæ, unde S, Aug. Serm. 62. de tempore ait: *in Quadragesima non jeiunare peccatum est*. Idem docent Concilia Prisca, ut Nicænum 1,Can; 5. Toletanum 8,C. 8: & Laodicænum Can,50. & alia.

Objiciunt Hæretici 1mo Matt. 15. dicitur : *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* 2do. *Manducate quæ appo-*

ponuntur vobis. Quæ locutio eſt indefinita extendens ſe ad omnes dies.

3tio. ad Rom. 14. *Si enim propter Cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

Reſpondeo ad 1mum. Cibi non coninquinant hominem, in quorum ſumptione non contingit transgreſsio, contemptus, & inobedientia legis.

Ad 2dum dico: Chriſtum illis verbis, tantùm voluiſſe adhortari ſuos diſcipulos ad fragilitatem, ut ad quoscunque divertiſſent; non lautitias ciborum quærant, ſed appoſitis cibis, licet vilioribus, contenti veſcerentur.

Ad tertium Reſpondeo. S. Paulum loqui de cibo indifferenti, non autem de Cibo Quadrageſimali, omnino tali, vel etiam S. Paulus præſumendus eſt loqui de modico cibo, juxta illud: *Si ſaturati non fuerint, murmurabunt.* Vide Cornelium à Lapide, circa hunc locum ſupra Epiſtolas Pauli.

Invo-

Invocatio Sanctorum.

QUæres? An licitè possunt à Nobis invocari Sancti DEI? *Respondeo.* Sancti DEI, sive Angeli, sive Homines, piè & utiliter à viventibus invocantur, non ut ipsi ex se nobis aliquid conferant, sed ut pro nobis orent, & per Christum Dominum nostrum apud Divinam Majestatem nobis quod petimus impetrent. Hoc dogma Catholicum

Probatur 1mo. Gen. 48 ℣. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Hic aperte, Jacob Angelos invocavit.

Probatur 2do. Exod. 32. ℣ 13. *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.* Hic Moyses non quidem expresse invocat Abraham, &c quia ante Christi mortem non erant in Cælo, sed tantùm eorum merita apud DEUM allegat.

Probatur 3tio. 1. Reg. 7. ℣, 8. Invocant filij Israel Samuelem. *Ne cesses pro nobis ad Dominum nostrum clamare, ut salvet nos de manu Philistinorum*, Job 42, ℣ 8. *Job servus meus orabit pro vobis*; Si Ergo licuit viventes Sanctos DEI invocare, cur non licebit eos cum DEO regnantes in Cælo invocare? an quia non possunt, verum cur non possint in Cælo? cum potuerint in terris, an quia non sciunt, quod oremus ad ipsos? sed quæro? unde sciunt Angeli peccatoris pænitentiam agentis in terra, de qua gaudent. Luc. 15. An quia fit DEO injuria? si alius, quàm ipse solus invocetur? sic neque viventes licebit invocare, & tamen ad Rom. 15 ℣. 30 Paulus scribit: *Obsecro vos Fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad DEUM.*

Ast in Contra Objiciunt Hæretici: Asserentes: Inutile, imo illicitum esse Sanctos, sive Angelos, sive homines invocare, ut pro nobis orent, ad Rom.

10. ℣. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*, ſed in ſolum DEUM credimus. Ergo ſolus DEUS invocandus eſt.

Reſpondeo. Ergo propter hanc rationem nec viventes Sanctos licebit invocare, cum etiam in illos non credamus. Apoſtolus autem loquitur de DEO, quem nemo poteſt invocare niſi in eum credat.

Objiciunt, 2do 1 ad Tim: 2 ℣, 5 *Unus mediator eſt Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, Ego Invocando Sanctos pro mediatoribus iniuriam facimus Chriſto.

Reſpondeo, Sic nec viventes Sancti ſunt invocandi. Denique non rogamus Sanctos ut vice Chriſti fungantur apud Deum, ſed ut precibus ſuis iuvent nos facilius per Chriſtum, unde & S. Mater Eccleſia ad omnes collectas quas dirigimus ad Sanctos addit: per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ob-

Objiciunt, 3tio 3 Reg: 8 ℣, 30 *Tu nosti solus cor omnium.* Ergo etiam solus Deus novit preces nostras & non Sancti.

Respondeo. Deus solus propria virtute cor omnium novit, Sancti autem per visionem beatificam.

Objiciunt, 4to Luc: 11 ℣. 9 *Petite & dabitur vobis* Ioan: 16 ℣. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ex his patet Deum paratissimum esse nos juvare, ad quid ergo Sancti invocandi.

Respondeo. Quid ergo Deus misit ad Job amicos ejus.

Objiciunt, 5to Matt: 6 ℣, 9 Docet Christus solum Patrem Cælestem esse invocandum.

Respondeo, Ergo nec Christus Dominus, nec Spiritus S: est invocandus, Deus ergo est invocandus ut Dominus, Sancti verò ut Intercessores & servi ac amici Dei, tum denique in illo loco

Matt:

Matt: 6 Christus Dominus non prohibet Sanctos invocare.

Indulgentiæ.

QUæres sunt ne admittendæ in Ecclesia Indulgentiæ?

Respondeo, Afirmative. Unde Indulgentijs â summo Pontifice vel alio Ecclesiæ Prælato concessis per applicationem thesauri Ecclesiastici scilicet infiniti & inexhausti cumuli meritorum Christi, Beatissimæ, & aliorum Sanctorum in Ecclesia ad peccatorum salutem relicti pro pæna temporali peccatis actualibus iam remissis debita satisfieri potest, quod totum.

Probatur, ex Matt, 16 ℣, 19. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* His verbis data est Petro, & successoribus ejus summa potestas in Ecclesiam ejusque membra, non tantùm li-

gan-

gandi, ſed & ſolvendi, non ſolùm â culpa ſed etiam â pæna, vel imponendo opera ſatisfactoria, vel aperiendo theſaurum meritorum Chriſti, & fidelibus poteſtatem faciendo inde ſumendi, ut Domino Deo pro pæna debita ſatisfaciant. Ita hucuſque ſenſit Eccleſia univerſa uti ex Extravagante Unigenitus de pænis & remiſſione patet. Nec uſus Priſcis fuit ignotus, nam à S. Gregor cæpiſſe Indulgentias ſtationum ait Toletus, & in Concil Nicæno Anno 328, datas Indulgentias cenſent non pauci apud Soarez, Imo S. Thomas & multi alij indicant S, Paulum incæſtuoſum illum Corinthum quem 1, ad Cor: 5, Excommunicatione ligaverat & ſatanæ in pænam temporalem tradiderat, non ſolùm â vinculo abſolviſſe, ſed etiam per Indulgentiam conceſſam â pæna liberaſſe 2 ad Cor: 2 ℣, 10 ubi ait. *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in Perſona Chriſti.* Id eſt coram Chri-

ſto

ſto, ut vices gerens Chriſti, ut plures explicant apud Cornel. Contra hoc dogma fidei Catholicæ nil habent Hæretici, quod objicere poſſint ex ſcriptura.

Imagines Sanctorum.

QUæres ? An liceat Sanctorum Imagines habere & Colere ? *Reſpondeo*, Affirmative ſed non niſi propter eos quos repreſentant, non tamen alia ratione.

Probatur *1mo*, Exod: 25 ℣, 18 Præcepit Deus fieri duos Cherubin ſupra arcam, qui alis ſuis Propitiatorium tegerent, atqui hi cum arca colebantur Er.

Probatur 2do Num 21 ℣. 18. Juſſit Dominus fieri ſerpentem æneum & poni pro ſigno, ut quicunque percuſſus aſpexerit vivat. Hic aſpectus ctus fuit veneratio ſalvatoris Domini Noſtri, quem ſerpens ille æneus figurabat

rabat, ſi ergo licuit colere in imaginibus Angelos, & in ſerpente æneo Chriſtum, cur & eundem nunc Chriſtum Dominum in figuris Crucis aut alijs, Sanctosque conſequenter in eorum imaginibus.

Objiciunt, Exod: 20 ℣, 4 Deut, 4, ℣.17 ad Rom: 1 ℣. 23, Prohibentur ſimulacra Cultu Divino Coli?

Reſpondeo diſtingvendo. Prohibentur ſimulacra coli dæmoniorum *concedo.* de quibus Exod. 32. ℣. 1. habetur mentio ſurge (dicebant Judæi ad Aaronem: *Fac nobis Deos.* Prohibentur ſimulacra veri DEI, ut Salvatoris IESU Chriſti coli, *Nego.* Et mirum valde eſt quod Hæretici ſuorum Regum & Principum imagines non erubeſcant colere, & imaginem Chriſti Crucifixi colere abhorreſcunt.

Lex Divina.

Quæres? An lex Divina poſſit à no-

nobis obſervari? *Reſpondeo*, Affirmative, non quidem per ſolas vires liberi arbitrij, ſed per auxilium gratiæ DEI.

Probatur 1mo. Matt 28. ℣. 19. *Euntes ergo* (ait Chriſtus) *docete omnes gentes &c. Docete eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*, fruſtra hic Chriſtus Dominus ſervare præciperet leges ſuas, ſi eſſent inobſervabiles.

Probatur 2do. Matt 11. ℣. 30. *Jugum meum ſuave eſt, et onus meum leve.* Item 1. Joan: 5. ℣. 3. *Et mandata ejus gravia non ſunt.* His locis uſum eſt Concilium Trident. Seſ. 6. Cap. 11. ut oſtendat mandata DEI, non ſolùm poſſibilia, ſed & facilia eſſe. Neque vocatur ſuave jugum ex eo, quia renatis non imputatur prævaricatio legis, puta veteris, quia non imputatio peccati non aufert à lege, vel levitatem, vel gravitatem, quam in ſe habet. E contra Acatholici docentes legem Divinam planè eſſe impoſſibi-

bi-

bilem, ut obſervari poſſit, etiam à juſtis, æque impoſſibilia eſſe omnia præcepta DEI, ſingulariter illud: Non concupiſces, ut ait Lutherus Libro de Libertate Chriſtiana:

Objiciunt illud 1mo, quod habetur Act: 15 ℣, 10. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum* (loquitur de renatis & fidelibus) *quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſalvari quemadmodum & illi*

Reſpondeo. S. Petrus loquitur de lege ceremoniali veteris teſtamenti, quod ex contextu clarum eſt: cum enim quidam Diſcipulorum putarent totam legem Moyſis eſſe adhuc Gentilibus converſis ſervandam; habitum eſt ſuper ea re primum Concilium in quo Petrus iſta dixit, ſed ibi nulla mens fuit de præceptis decalogi.

Objiciunt, 2do ad Gal: 3 ℣. 10 *Qui cunque ex operibus legis ſunt ſub maledicto ſunt.*

Re-

Respondeo, Apostoli sensus hic est, Quicunque Evangelio Christi promulgato adhuc sub lege Moysis est, sub maledicto est, quod fidem & gratiam Christi non habeat.

Objiciunt 3tio ad Rom: 7 ℣.18. *velle* (servare legem) *adiacet mihi perficere autem non invenio*

Respondeo, Apostolus non loquitur de legis observatione, sed de actu concupiscendi, licet is circa consensum non sit peccatum, quem velit tamen non sentire, sed non potest perficere ut non sentiat, & quandoque invitus & citra consensum cogatur sentire. Hinc optat, hac etiam ab innocua necessitate liberari, inquiens ℣. 24. *Infelix homo*, *quis me liberabit de Corpore mortis hujus* ita S. Augustinus Tractatu 42 In Ioan: libro 6.

Objiciunt, 4to Iac: 3 ℣, 2 *In multis Offendimus omnes* & Ioan: 1 ℣, 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.*

Ergo

Ergo legem totam nemo poteſt ſervare.

Reſpondeo S. Iacobus & S Ioan: loqvuntur de peccatis venialibus, quæ non ſunt contra ſed præter legem quodammodo, ſcilicet aliqua imperfectio in obſervatione legis juxta S. Thomam I. 2 q, 88. unde maximus eſt error Acatholicorum qui putant omnia peccata eſſe mortalia nulla verò venialia.

Matrimonium.

QUæres? An Matrimonium eſt Sacramentum Novæ legis?

Reſpondeo. Matrimonium eſt verè & propriè dictum Sacramentum ad individuam vitæ ſocietatem inter Conjuges ſalubriter tranſigendam Divinitus inſtitutum.

Probatur 1*mo*, ad Epheſ. 5 ℣. 32 *Sacramentum hoc Magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Neque cenſen-

ſendus eſt loqui Apoſtolus de Matrimonio ut eſt contractus, & pro ut fuit ab initio mundi, quia in omnibus comparat conjunctioni quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam ; & ſic explicant SS. Ambr: Hieron: Chryſoſ: Aug: & alij in hunc Apoſtoli textum cum prioribus illius capitis.

Probatur, 2do 1 ad Tim: 2 ℣. 15 *Salvabitur per Filiorum generationem ſi permanſerit in fide &c.* id eſt ſi peccatis gratiam non impediat. Ex his D. Pauli verbis tam audacter aſſerentis colligitur quod matrimonium ut à Chriſto Domino conſecratum ſit defacto Sacramentum: ſecus enim tam confidenter nunquam aſſeruiſſet quod Parentes per generationem filiorum ſalvari poſſunt. Ulterius ex hiſce verbis S. Pauli colligitur quod de facto Coniuges per uſum Matrimonialem acquirant gratiam 2dam, cum ſalvari poſſunt per generationem Filiorum, ideſt magis

San-

Sanctificari si sint tunc temporis absque peccato. Contra hoc dogma Fidei Catholicæ nil contra ex Sacra scriptura objicere valent nisi solam proterviam.

Missa.

QUæres ? An liceat nunc in lege gratiæ seu Evangelica sacrificare seu Missæ scrificium peragere?

Respondeo, Affirmative, Est autem Missa sacrificium in quo Deo verè & propriè offertur Corpus & Sangvis Christi sub specie visibili Panis & vini, modo incruento, quod ipse cruentè obtulit in Cruce.

Probatur, 1*mo*, Luc: 22. ℣: 19 & 1 ad Cor: 11 ℣. 24. *Hoc facite in meam Commemorationem*. His verbis mandavit Apostolis & toti Ecclesiæ ad sui memoriam facere hoc, quod ipse tum in cæna faciebat (de quo quidam Acatholici dubitant) sed Christus se

ipsum

ipsum sub specie Panis & Vini Deo Patri obtulit: Nam præterquam quod ly *facere* tam in lingua Syriaca vel Hæbraica, quàm Latina sumatur pro sacrificare. Sic Lev. 15 ℣, 15. dicitur : *faciet unum pro peccato.* Et 3 Reg: 18. ℣. 23. ait Elias : *Et ego faciam bovem alterum.* ita SS. Patres,

Probatur 2do. Psal. 109 ℣, 4. *Tu es Sacerdos in æternum , secundum ordinem Melchisedech* qui Gen. 14. ℣, 18 Proferens Panem & Vinum (erat enim Sacerdos DEI altissimi) benedixit ei: Quæ David vaticinatus est de Christi incruento sacrificio, quod tum ipse in Cæna ultima obtulit, tum per Sacerdotes in Ecclesia sua quotidie offert, utique ad sæculi consumationem, sic accipiunt SS. PP. apud Bellar.

Probatur 3tio, Malach. 1.℣ 11. *Ab ortu solis usque ad occasum, magnū est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*: hæc utique non intelliguntur de gentibus

idololatris ; sed conversis ad Christum , quæ autem illa oblatio munda dicatur. ut vera sit Prophetia, nisi sacrificium Corporis & Sanguinis Christi incruentum, sic SS. Patres apud Bellarminum.

E contra Acatholici docentes, In Missa nihil DEO offerri , præter orationes, imò potius nobis à DEO offerri Sacramentum,unde Catholicorum Missam non tam Sacrificium,quàm potius abominationem esse dicendam:

Objiciunt 1mo. Christus suum Corpus & Sanguinem Apostolis distribuit dicens : *Accipite &c.* non vero Patri obtùlit.

Respondeo, Neg: ans: cum supra sit ostensum, quod defacto se DEO Patri obtulit.

Objiciunt 2do. Matt.26, ℣.29. dicit Christus Dominus : *Non bibam à modo de hoc genimine vitis &c.* His verbis videtur prohibere Sacrificium.

Respondeo. Hæc intelligenda esse de calice

calice, quem dedit ad bibendum post esum agni in antecedenti cæna, antequam institueret Sacramentum, ut ostendit S. Lucas Cap. 22. ℣.18, & S. Hieron, Beda, Cornel.

Objiciunt 3tio. Psal 109, ℣:4. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Si ergo solus & unus Christus est Sacerdos, qui Panem & Vinum offerat in æternum, ergo non sunt alii Sacerdotes ut Successores substituendi qui offerant.

Respondeo. Non est additum in loco citato, *tu solus Sacerdos*, tum deniq; Christus est Sacerdos Supremus, & nos inferiores, offert enim Panem & Vinum & nunc, quia in ejus Sacratissima persona nos infimi consecramus, dicimusque non nostra sed ejus verba *Hoc est Corpus meum, Hic est Sangvis &c.*

Objiciunt 4to. Joan. 19. ℣. 10. Consummatum est, dixit Christus Dominus, agonizando in Cruce, ista pronun-

tiatione ſignificat Chriſtus uno Sacrificio perfectum eſſe, quidquid ad ſalutem noſtram neceſſarium erat, nec opus eſt modò alio Sacrificiò.

Reſpondeo His verbis ſignificat, eſſe, quidquid ad ſalutem noſtram neceſſarium erat, conſummatum per cruentum ſacrificium, quaſi diceret conſummatum eſt jam cruentum ſacrificium, quo ad pænas quas in Carne pro nobis patiebatur, ita S. Cyrill Aug. Theophil. & alii. Quod autem dicat Chriſtus Dominus, apud Matt. *Miſericordiam volo, non Sacrificium*: intelligit de Sacrificiis legalibus, quæ ſibi Judæi maximé appretiabant.

Opera Bona.

DUo hic ſunt examinanda. 1*mum* An opera bona ſint ad ſalutem neceſſaria? 2*dum*. Utrum ſint meritoria? Quo ad 1mum dico: Opera bona ſive præcepta, ſive ſupererogatoria ſunt neceſſaria ad ſalutem.

Pro-

Probatur Id dogma Catholicorum præter dicta supra de fide utrum sola justificet? Matt. 19. ℣. 17 *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ergo opera bona præcepta, sunt necessaria ad salutem consequendam. Item Matt. 15. ℣. 34. *Venite benedicti Patris mei &c. esurivi enim &c.* ergo, & opera supererogatoria cum fide conferunt salutem æternam. Item Jac. 2. ℣. 14. *Quid prodest Fratres mei, si fidem se dicat quis habere, opera autem non habet nunquid poterit eum fides salvare?* Ergo opera bona sunt necessaria.

Quo ad 2dum dico: Opera justorum verè bona & justa sunt, ideoque verè & propriè sunt meritoria secundum justitiam ex condigno.

Probatur 1mo 2. Petri 1. ℣ 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis.* Cur quæso ad bona opera Apostolus hortatur, si sunt peccata & mala?

Probatur 2do. 2.ad Tim. 4. ℣. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ &c.* & ad Hæbr.6 ℣.10, *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri.* Hinc de justitia de còndigno ob promissionem à DEO factam dari operibus bonis vitam æternam docent S. Aug.Cypr. Chryf.& alij apud Cornel. Et quamvis opera nostra bona DEI sint potius, tamen etiam sunt nostra quia liberè facimus quæ possemus non facere,unde S August: clamat ad Christum Dominum. *Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.*

Probatut 3tio. 2 ad Tess. 1.℣.5 *Ut digni habeamini Regno Dei pro quo & patimini.* Ergo opera bona sunt de condigno meritoria vitæ æternæ.

Objiciunt Acatholici 1mo ad Rom. 4,℣,3. *Credidit Abraham, & reputatum est illi ad justitiam.* Addit S. Jacobus 2.℣ 23. *Et amicus DEI appellatus est.* Hi textus S, Scripturæ tantùm mentionem faciunt de fide.

Ret

Respondeo S. Paulus & S. Jacobus loquuntur de 1ma justificatione qua ex impio, quis fit justus, unde horum textuum hic est sensus, Abraham primo justificatus est per fidem, cum primum credidit DEO, nam & ipse conceptus est in peccato originali, & secundo justificatus est, cum ex justo factus est justior, respectu bonorum operum, quæ operatus est in gratia Sanctificante, jam obtenta, ita S. Augu. aliique SS. Doctores.

Objiciunt 2do. Psal 142 ℣. 1: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Respondeo 1mo. S. Aug. sic explicat hunc locum, hominem ex se verè nil habere, quo justificetur, sed solùm ex gratia DEI, ex qua etiam habet quod possit benè operari.

Respondeo 2do. Idem S. Aug: Grego: Hieron. & alij ajunt: Davidem loqui de venialibus, sine quibus vix ullus vivit, quæ operibus bonis admixta,

non efficiunt quidem ut opera bona ſint mala,faciunt tamen ut homo puniri poſſit,& à præmio retardari.

Objiciunt 3tio Eccl:7. ℣. 1. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet* Si igitur non poteſt facere bonum quin peccet, Ergo bonum quod facit eſt peccatum.

Reſpondeo. Senſus eſt hic juxta S. Hieronim. Neminem tam benè operari, quin benè operando peccet aliquando venialiter, vel ratione vanæ gloriæ, reſpectûs humani, vel ratione inevitabilis mentis diſtractionis tempore orationis, aut defectu rectæ & bonæ intentionis.

Objiciunt 4to. Iſaiæ 64. ℣. 6. *Quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.*

Reſpondeo 1mo. Non loquitur Iſaias de juſtis, ſed de inſignibus peccatoribus, ut patet ex antecedenti textu: *Ecce tu iratus es, & peccavimus.*

Reſpondeo 2do. Loquitur de Sacrificijs Neomenijs, & cæteris, quæ prava in-

intentione vitiabant, & tamen justitias vocabant.

Objiciunt 5to. Dan: 9 ℣ 18, *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis multis.*

Respondeo. Daniel loquitur captivitatis tempore, in quam populus ob peccata devenerat, unde non poterat bona opera allegare. Tum etiam omnis oratio etiam justi hominis, debet esse humilis, non præsumptuosa, ut eò facilius á Domino DEO exaudiatur.

Objiciunt 6to, Luc.17 ℣, 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite, servi inutiles sumus.*

Respondeo. Non dicit eos, quod in oculis suis Divinis defacto sint inutiles, & nihil lucrentur sibi, sed vanæ gloriæ vitandæ causa suggerit, ut ex humilitate se potius inutiles reputent, quam de impletis præceptis vanè se extollant, sic apud Cornelium, S, Bernardus, Ambr. Chrysost.

Objiciunt 7mo, ad Rom. 6, ℣, 23:

Gratia autem DEI vita æterna. Si gratia, ergo gratis à Domino DEO nobis confertur, & non de condigno;

Respondeo: Dicitur gratia, quia gratis habemus gratiam DEI, cum qua tamquam cum principio bene merendi possimus nobis promereri de condigno juxta promissionem Divinam vitam æternam,

Objiciunt 8vo. ad Rom 8. ℣. 18. *Non sunt condigna passiones ad futuram gloriam.* Ergo per illas ex condigno eam non promeremur,

Respondeo, Verùm quidem est, quod non sit proportio, si operum & gloriæ substantiam attendamus, est tamen proportio, si gratiam sanctificantem quæ est charitas habitualis, cum qua operamur meritoriè consideremus, sicut peccatorum delicta minora sunt quàm gehenna, sed ob DEI offensam infinitam digna sunt infinitâ pænâ.

Objiciunt 9no ad Tit 3 ℣. 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus sed secun-*

dùm

dum suam misericordiam salvos nos fecit. Ergo opera nostra bona non sunt meritoria de condigno vitæ æternæ.

Respondeo. Hæc ex misericordia salvatio habetur ex gratia quam Dominus Deus dat cuique gratis, absque enim illa nullo modo opera sunt meritoria.

Ordo.

QUæres ? An ordo sit Sacramentum ?

Respondeo, Affirmative :

Probatur; 1mo Act: 6. ℣, 6. habetur *impositio manuum* quâ & Episcopos & Diaconos ordinarunt, nec est dubium quod præter impositionem manuum adhibeatur aliqua forma verbalis per quam debetur potestas ordinandis circa administrandum Corpus Christi; quod est duplex: reale & mysticum.

Probaur, 2do 1 ad Tim; 4, ℣, 14.

Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyteri; hic nota: quandoque in scriptura vocantur Episcopi Presbyteri.

Probatur. 3tio Act: 13 ℣, 2 *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos tunc ieiunantes & orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Contra hoc dogma Catholicæ Fidei tot Concilijs Æconomicis stabilitum novissimè Concilio Tridentino opponunt Acatholici in contrarium, exemplum Christi Domini qui Apostolis non imposuit manus, cum eos sacerdotes ordinavit. Ast quæro Ubi scriptum est, Christum Dominum Apostolis manus non imposuisse, quando eos ordinavit: Et licet Christus non imposuisset manus, nihil probat quod ordo non sit Sacramentum, quia Christus Dominus auctor Sacramentorum non erat ita alligatus Sacramentis sicut Apostoli; Quod autem & in Confirmatione adhibebatur impositio manuum sed forma diversa erat.

Pec-

Peccata Actualia.

QUæres ? Utrum peccata sunt æqualia ?

Respondeo, Peccata ex natura sua alia sunt mortalia & contra legem quæ hominem amicitiâ DEI privant, & mortis æternæ reum constituunt, alia venialia & præter legem, quæ hominem amicitiâ DEI id est gratia sanctificante non spoliant, & non nisi temporalis supplicij reum reddunt.

Probatur hæc doctrina Catholica 1. Ex illo Matt: 5 ℣, 22. *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. qui autem dixerit Racca, reus erit Concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quanta peccatorum diversitas ? quæ ex ipsa diversitate pænarum cognoscitur.

Probatur, 2do Matt:23 ℣. 24. *Duces caci excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* & Luc: 6. ℣, 41. *Quid vides festucam in oculo Fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras.* Ergo peccata alia sunt gravia alia levia.

Pro-

Probatur, 3tio Luc: 12 ℣, 59. *Dico tibi non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas* hic per minutum intelligunt Tertul: Origenes Hieron: Cypri: Ambr: & alij, peccata levissima. Oppositum sentientes Acatholici nimirum quod omnia peccata sint ex natura sua mortalia, morte scilicet æterna digna, sed ex sola Dei miseratione venialia sunt, tunc quando DEus non imputando nobis ea, veniam eorum indulget; & adducunt pro parte sua S. Scripturam uti Ioan: 13 ℣. 8. *Si non lavero te* (à peccatis scilicet venialibus juxta S. Aug,) *non habebis partem mecum* Ergo venialia privant amicitiâ Dei & beatitudine, & consequenter non differunt à mortalibus.

Respondeo. 1mo. Christus minatur ob inobedientiam, quod nollet obedire in lotione pedum, separandum: hæc verò erat gravè peccatum. *Respondeo.* 2do Venialia non simpliciter excludunt à Règno Dei sed solùm retardant.

Obji-

Objiciunt, 2do Matt. 10 ℣. 42. *Quicunque dederit potum uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem.* Si igitur minima opera bona merentur vitam æternam, a contrario & minima levia videlicet peccata merentur gehennam.

Respondeo. hic non dicitur pro minimo opere dandum cælum, sed mercedem aliquam correspondentem operi bono.

Respondeo, 2do Dare calicem aquæ frigidæ ex amore Dei nō est minimū præsertim tempore æstûs, & maximi Caloris.

Respondeo. 3tio Operi minimo dare maximam mercedem est ingens liberalitas, quæ non est vituperanda, sed peccato minimo infligere maximam pænam est injustitia & crudelitas, etenim liberalem esse licet, non verò crudelem vide Bell: Tom 3.

Pænitentia.

QUæres ? Pænitentia est ne Sacramentum?

Respondeo, Defacto verè & pro-

prie

priè est Sacramentũ; in quo sacerdotalis absolutio à peccatis quæ detestatus riteque confessus quis fuerit impenditur.

Probatur. Ioan: 20 ℣. 23. *Quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* His verbis tria ad Sacramentum requisita ostenduntur. 1mum. Ritus seu symbolum seu signum externum istis verbis *quorum remiseritis peccata &c.* declaratur: peccata enim nec remitti nec retineri possunt ulli nisi, quis confiteatur ea, & nemo ea remittere aut retinere creditur, nisi id faciat signo aliquo externo uti absolvo &c 2do. His ipsis verbis clare apparet institutio, quibus Christus absolvendi potestatem tribuit SS. Apostolis: 3tio Gratiæ promissio ijs verbis *remittuntur eis* exprimitur. Acatholici esse quidem pænitentiam Sacramentum fatentur, sed non nisi simul cum baptismo cunjunctam, adducuntque pro se Act. 2 ℣. 38. *Pœnitentiam agite, & Baptizetur unus*

quis-

quisque Vestrum in Nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.

Respondeo, Hic agitur de adultis non baptizatis, uti contextus probat, Quæstio autem procedit de pænitentia, per quam post Baptismum peccata remittuntur, de qua S. Petrus Act. 8 ℣, 22 ad Simonem magum baptizatum loquitur. vide plura Confessio:

Purgatorium.

QUæres? Daturne Purgatorium? *Respondeo*, Præter Cælum & infernum est locus quidam, quem vocamus Purgatorium, in quo Animæ quæ in hac vita non plenè sunt purgatæ, post eam purgantur, Quod dogma Catholicæ Fidei.

Probatur 1mo Psal. 121 ℣. 1. Certificatus a Deo de sua salute æterna David *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus* (non enim temporibus ejus exstabat Domus Dei, scilicèt templum)

plum) gratias agit Omnipotenti quod eum à damnatione æterna liberavit. Psal 85. ℣. 11 *Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo &c. quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Ergo præter gehennam infernum, scilicet inferiorem, datur alter superior infernus, scilicet Purgatorium; Limbus enim, qui erat locus quietis, nequit vocari infernus, scilicet locus tormentorum.

Probatur 2do 1. ad Cor. 3. ℣. 10. *Fundamentum posui, alius autem superædificat, unusquisque autem, videat quomodo superædificet &c. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

In

In hoc textu *fundamentum* eſt Chriſtus à Paulo & alijs Apoſtolis annunciatus; *qui ſuperædificant* ſunt Doctores poſt Apoſtolos & cæteri Chriſtiani : *Aurum argentum , lapides* ſunt tum doctrina ſalutaris, tum opera bona, *lignum, fænum, ſtipula*, ſunt opera bona tepida, nec non & peccata venialia. *Dies Domini* , eſt extremi judicij dies, *Ignis qui in die Domini uniuscuiuſque opus probabit* , eſt ſeverum Dei judicium, probans & examinans ea, quæ ſuperædificata ſunt. *Ignis per quem ſalvus erit*, eſt pæna temporalis purgatoria, ad quam poſt mortem adjudicantur , qui ſuperædificant lignum fænum & ſtipulam, ſalvi tamen poſt purgationem fient. Sic apud Bellar. S. Augu. Chryſ. Ambroſ. Anſel. Thom. Theoph. Cypr & alij

Probatur 3tio. Matt. 5. ℣, 26 *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adverſarius Judici , & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris; Amen dico tibi , non exies inde*

donec

donec reddas novissimum quadrantem In hoc textu *Adversarius* est Lex DEI, quæ pravis nostris desiderijs adversatur. *Via* est præsens vita. *Iudex* est Christus. *Tortor vel minister* est Dæmon. *Carcer* est purgatorium, *Novissimus quadrans* sunt minuta peccata, quæ in purgatorio plectuntur, sic apud Bellar. explicant S. Cypr Orig. Hilarius, Ambr. Hieron Aug & alij.

Objiciunt Acatholici Psal. 126. ℣. 3. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Hic inter somnum & hæreditatem, id est mortem & beatitudinem, nihil intercedit, quod purgatorium dici possit.

Respondeo. S. Aug. hunc locum exponit, de generali Resurrectione, ubi jam non erit purgatorium. Præterea iste textus loquitur, de Sanctis & dilectis DEI, qui sanctè moriuntur, etiam à venialibus, hac in vita emundati, qualiter S. Domin. S. Franc. & alij Sancti objerunt.

Ob-

Objiciunt 2do, Eccl 9 ℣.10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare. quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas*: Hic nullum in altero ſæculo remedium relinquitur peccatori ad expurgandum, & expiandum ſe à peccatis, cum in vita, poterat expiari præſertim à venialibus, ipſemet enim horror, & acerbitas mortis, ſi quid adhuc in hac vita purgandum ſupereſt, purgat.

Reſpondeo 1mo. S. Hier: hunc textum exponit de illis, qui ob peccata mortalia deſcendunt ad infernum inferiorem.

Reſpondeo 2do S. Greg lib 4. Dialog. Cap. 39. ait: Hic moneri omnes ut in hac vita ita ſtudeant vivere, quo illam à DEO indulgentiam mereantur, ut ubi ad purgatorium venerint, juvari ſe à vivis permittant; cum ſe ipſos juvare non valebunt, quoad mortem & ejus acerbitatem, quod deleat

pec-

peccata venialia ostendant ubi est scriptum hoc, aliàs deleret & peccata mortalia cum sit amara nimis, & supra innuimus, quod fænum & stipulam ignis purgatorij exurat, id est peccata venialia: Mors & pæna solùm pro originali peccato.

Objiciunt 3tio Eccl. 11.℣,3: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem in quocunque loco ceciderit ibi erit.* Hic non datur 3tius locus.

Respondeo, Sicut per austrum intelligitur gloria Cœlestis, ita & purgatorium, nam qui ad purgatorium mittitur certus est de æterna salute. Hier. Bernard: apud Bellar. Unde in purgatorio animæ existentes laudant & amant DEUM.

Objiciunt 4to. Matt. 21 ℣.24. alijs dicetur: *Venite benedicti*, & alijs *maledicti.* Ubi hic est mentio de purgatorio.

Respondeo. Sermo est de extremo judicij die, ubi finem habebit purgatorium:

Ob-

Objiciunt 5to Luc. 23, ℣. 49. *Latroni dictum est: Hodie mecum eris in paradiso*, Ergo is non habuit purgatorium,

Respondeo 1mo. Iſte textus militat contra Acatholicos, qui nonniſi duo poſt mortem loca admittunt, cum detur & Paradiſus.

Respondeo 2do. Non negamus poſſe hominem, ſic vivere ſanctè multa patienter tolerâre, ut ſine purgatorio Cælum rectà petat, nec negamus per dolores mortis patienter toleratos minui pænas purgatorij aut de toto tolli, ſed non niſi ex ſola acceptatione DEI libera, debetque in illis elici dolor de peccatis etiam venialibus, quàm multi ſunt, qui ſine hoc dolore moriuntur præſertim qui ſubito moriuntur in ſolis peccatis venialibus quandoque.

Objiciunt, 2do ad Col: 5 ℣, 1. *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur. ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam sed æternam in Cælis.*

Ergo

Ergo rectà omnes fideles ibimus post mortem ad Cælum.

Respondeo. Concedo si piè & Sanctè vivemus ac moriemur sine ullo peccato. similiter

Respondeo, ad illud Apoc: 14. ℣. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis.* Ille enim in Domino moritur, qui in gratia moritur, uti SS. Martyres, Confessores SS. Eant ergo Hæretici post mortem ad infernum, & nos Catholici ad purgatorium, quod dari credimus.

Reliquiæ Sacræ.

QUæres? Licet ne Sanctorum reliquias piè & fructuosè colere? *Respondeo.* Affirmative.

Probatur, 1*mo*, 4. Reg: 13 ℣, 21. *Cum cadaver tetigisset ossa Elizei revixit homo*: quo miraculo Deus ostendit quàm grata sunt ossa Sanctorum, unde Ps. 33 ℣ 21 dicitur

Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Probatur, 2do Matt: 9 ℣. 20. *Mulier quæ sangvinis fluxum patiebatur tetigit cum reverentia fimbriam vestimenti ejus ut sanaretur.* Actorum 5 ℣ 15. *ad umbram S. Petri ponebant ægros ut curarentur.* Act: 19 ℣. 12. *Super langvidos deferebantur à Corpore Pauli sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis langvores.*

Objiciunt, Acatholici asserentes, impium esse Sanctorum reliquias aliquo cultu venerari. 1mo Matt: 29 ℣, 23 *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophætarum & ornatis monumenta justorum.* Ergo non placet Deo honor, qui reliquijs Sanctorum exhibetur.

Respondeo, Christus reprehendit eorum intentionem sinistram. 1mo quia faciebant non ut honorarent Prophætas, sed ut ipsi laudarentur ab hominibus: 2do quia ex pecunijs injustè à pauperibus & viduis extortis illa monumenta ædificabant.

Objiciunt. 2do Deut: 34 ℣. 6 *Abscondit Deus Corpus Moysis ne illud Judæi colerent.* Simile quid habetur de serpente æneo &c?

Respondeo. Ista facta sunt ne Divinus cultus tam Corpori Moysis, quàm serpenti æneo exhiberetur. ita S. Chryf. & alij Sancti Patres apud Bellar.

Suffragia pro Defunctis.

Quæres? Possuntne animæ in purgatorio à nobis juvari.

Respondeo, Animæ in purgatorio detentæ possunt vivorum suffragijs, nimirum Sacrificio Missæ, Oratione, Eleemosynis, Jejunijs, Peregrinationibus, & alijs operibus pænalibus & satisfactorijs juvari.

Probatur 1mo. 1. Machab. 12 ℣ 46. (quem librum Ecclesia Sancta, Concil. Carth 3tium Can 47. S. Aug. lib 18. de Civit: Dei Cap 36 pro Canonico agnoscunt;) *Sancta & salubris est cogita-*

gitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur; non pro defunctis scilicet, qui sunt in inferno (ex inferno enim nulla redemptio) Ergo pro defunctis in purgarorio.

Probatur 2do, Tobiæ 4. ℣ 18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*, hic locus à S. Chryso. apud Bellar. explicatur de Eleemosynis in solatium defunctorum. Item Eccl. 6. ℣ 38. *Mortuo non prohibeas gratiam*, unde David Rex pro Saul & Jonata defuncto jejunavit, ut habetur 2 Reg. 1 ℣. 12. *David, omnesque viri qui erant cum eo, planxerunt & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul*, nec jejunavit David solùm in signum luctûs, nam pro Filio suo ægroto quidem jejunavit, non verò pro mortuo, quia eum ut innocentem sciebat suffragijs non egere.

Objiciunt Acatholici 1mo Eccl. 9, ℣, 5. *Viventes sciunt se morituros, mortui*

autem nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria defunctorum.

Respondeo. Sapiens loquitur de bonis hujus vitæ; ac si dicat, mortuos nil scire quid agatur de rebus quas relinquerunt, nec posse eos propria actione uti ad suam liberationem, sicut poterant ante, per dispositionem. Bellar.

Objiciunt 2do ad Gal 6. ℣. 5. *Unus quisquis onus suum portabit.* Hunc textum explicat S Hieron. de altera vita, in qua nemo ab altero juvari potest,

Respondeo, S. Hieronymus vel intelligendus est de ijs, qui in peccato mortàli decedunt, vel de extremo judicij die, quando cessante purgatorio cessabunt & suffragia pro defunctis, nam idem S. Hieronymus graviter insurgebat in Vigilantium, qui negabat post mortem posse precibus vivorum quenquam defunctorum juvari,

Sacra-

Sacramenta.

QUæres? Quot ſunt Sacramanta? *Reſpondeo.* Sacramenta ſeu ſigna externa & ſenſibilia, quæ ex Divina inſtitutione annexam habent promiſſionem gratiæ juſtificantis; ſunt numero ſeptem, videlicet: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium, verum quidem eſt numerum ſeptennarium in S. Scriptura non reperiri, ſicut nec numerum binarium, aut ternarium, reperiri autem nec plura, nec pauciora, quàm ſeptem.

Probatur diviſim ex S. Scriptura de ſingulis. & 1mo.

De BAPTISMO, Joan. 3, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non poteſt introire in Regnum DEI.*

De CONFIRMATIONE. Actor. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.*

De EUCHARISTIA: Matt. 26. *Cœnantibus autem eis accepit* JESUS *Panem & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis & ait:* Hoc est Corpus meum.

De PÆNITENTIA Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

De ORDINE, Matt. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.*

De MATRIMONIO. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.*

De EXTREMA UNCTIONE, Marci 6. *Ungebant oleo multos ægrotos & sanabantur.* Jac 5. *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini,* Omnia ista Sacramenta his versiculis describuntur:

Ordo, Conjugium, Fons, Confirmatio, Panis,
Unctio postrema, Confessio sunt Sacramenta.

Acatholici non sunt concordes se-

cum circa numerum Sacramentorum, Lutherus execrabilis tenuit tantum duo Sacramenta, nimirum Baptiſmum & Cænam; Calvinus tria, Baptiſmum, Cænam & Ordinationem, recentiores non nulli Hæretici, etiam Matrimonium pro quarto aſſignant Sacramento.

Satisfactio.

CIrca hunc titulum duo veniunt examinanda. 1*mum*. An remiſsâ culpâ remittatur totaliter & pæna? 2*dum*, An pæna temporalis redimi poſſit operibus ſatisfactorijs?

Quo ad 1mum dico: Poſt remiſſam culpam aliquando remanet reatus pænæ temporalis, in quam pæna gehennæ æternæ mortalibus peccatis debita eſt transmutatâ, quòd luculenter patet ex 2.Reg 12.ỽ:13 Dicenti David, *peccavi Domine, Reſpondit* Nathan: *Dominus quoque abſtulit peccatum tuum non mo-*

morieris (id est non condemnaberis) *verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur*,quod & factum est.Plura loca adduci possunt: Num.14: ubi populo remissâ culpâ omnes tamen mortui in pœnam in deserto.& Num. 20: ubi Moyses & Aaron eadem pœnâ mulctantur.

Quoad 2dum dico: Pœnæ temporales, alterius vitæ, scilicet pœnæ purgatorij redimi possunt, jejunijs, precibus,eleemosynis, alijsque bonis & laboriosis operibus,sive sponte assumptis sive àConfessario injunctis.Quod Probatur 1mo. Dan.4,℣.24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.*

2do, Job 42.℣.6. *Ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere.*

3tio Tobiæ 4. ℣. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat.*

4to. Joel 2.℣.19. Sanctificate jejunium &c.

5to

5to. Matt. 18 ℣. 18. *Quæcunque alligaveritis, erunt ligata &c.* ex his concludit Concil: Trident: Ses. 14 Cap: 15 ſicut ſacerdotes habent poteſtatem à Culpa pænitentes abſolvendi, ita etiam ad certa pænitentiæ opera alligandi habere à Deo poteſtatem.

Objiciunt 1mo 2 Reg 12 David jejunijs & precibus non potuit Satisfacere pro morte Filij, quæ erat pæna temporalis, ſicut & pænæ purgatorij. Ergo non poſſumus hic in vita ſatisfacere &c.

Reſpondeo. Decretum Dei de morte Filij David fuit abſolutum quod omnino adimpleri debuit, decretum verò de pænis purgatorij condicionatum, ſi pænitens hac in vita ſpontaneè vel per impoſitionem Confeſſarij aliquam pænalem abſolvet ſatisfactionem, minus torquebitur & citius de purgatorio exibit, ut multa nos edocent exempla.

Objiciunt 2do Ezech: 23 ℣. 22. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque*

die conversus fuerit ab impietate sua. Ergo nullas post conversionem Deus pænas exigit, nec in hac vita, nec in altera.

Respondeo: Propheta loquitur de pæna æterna, quam post veram conversionem non imponit Dominus Deus peccatori.

Objiciunt 3tio Ioan. 8 ℣, 12. Adulteræ Christus post remissam culpam nullam pænam imposuit, sed nonnisi dixit ei: *Vade, & jam amplius noli peccare.* Ergo &c.

Respondeo. Potuit Christus Dominus ut Deus misericors ob magnitudinem Contritionis omnem pænam cum Culpa dimisisse, sed inde non licet argumentari ad Sacerdotes, qui tanquam Ministri administrant Sacramenta juxta eorum exigentiam, denique illa publica confusio adulteræ non ne pæna erat?

Objiciunt, 4. Isai 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum & ad*

Deum

Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum; Si multus est ad ignoscendum, Ergo non solum Culpam, sed & pœnam pœnitentibus ignoscit & dimittit.

Respondeo, 1mo Verum est, quod quandoque dimittat verè contritis.

Respondeo 2do· Dominus Deus non solùm est misericors sed & justus, tam enim misericordia est attributum Dei sicut & justitia, sufficit quòd attritis in Sacramento pœnitentiæ culpam & pœnam æternam dimittat: & temporalem reservet ad Purgatorium, nam & hic multa apparet eius miseratio.

Traditiones.

QUæres? Traditiones Ecclesiæ sunt ne fide Divina, credendæ? *Respondeo*, Non omnia quæ credenda sunt, in S. Scriptura scripta sunt, sed multa habemus per traditiones, quarum aliæ sunt Divinæ, quas Christus Dominus Apostolis verbo Communi-

municavit, nil enim salvator noster manens in hoc mundo scripsit, sed potius docuit ore suo Sacratissimo Discipulos & Populum. Aliæ sunt traditiones Apostolicæ, quas Apostoli Discipulis suis, & hi nobis vel viva voce, vel scripto Communicarunt. Quod.

Probatur 1mo Ioan: 16 ℣. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et verè docuit Petrum (ut de Sacramentorum materia & forma, de ordinatione ministrorum Ecclesiæ) Act: 15 ℣. 10 docuit non esse Gentibus conversis Circumcisionis jugum imponendum, hæc enim nullibi à Christo Domino, dicta in scripturis leguntur.

Probatur 2do 1 ad Cor: 11 ℣: 2, *Laudo vos quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis:* Hæc autem S. Pauli præcepta nullibi in Sacris Scripturis leguntur.

Pro-

Probatur 3tio 1 ad Cor: 11 ℣. 34. *Cætera cum venero diſpenam.* Quòd autem multa diſpoſuerit dubium non eſt, quæ autem ea ſunt; nuſquam in Sacra Scriptura invenies.

Probatur, 4to 2 ad Teſſal. 2 ℣. 14. *Itaque Fratres, ſtate & tenete traditiones ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Tradiderat autem de Anti-Chriſto uti hoc ipſo capite inſinuat, quæ nullibi ſcripta reperies.

Hos textus accipit S. Chryſ: in hunc locum de traditionibus inquiens: *Hinc patet, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderit, multa etiam ſine literis, eadem verò fide digna ſunt tam illaq; quàm iſta,* huic Conſonat Theopilactus Baſilius, Damaſcenus, vide Bellarminum.

Objiciunt 1mo Acatholici mordicitus docentes: Nihil credendum eſſe niſi quòd in Sacris ſcripturis continetur, ac proinde omnes traditiones reijciendas. 1mo Deut: 4 ℣, 2. *Non addetis*

detis ad Verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. & Cap: 12 ℣, 32. *Quod præcipio tibi tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.*

Respondeo, 1mo Non loquitur hic Moyses de verbo Dei scripto, sed viva voce tradito: non enim dicit, quæ scribo, sed quæ loquor, & *quæ præcipio.*

Respondeo. 2do: Monet Populum Judaicum ne præceptis Diuinis vel quidquam contrarium addere, vel ea falsa interpretatione depravare præsumat: Nam & ipse Moyses alia ad hæc scripta addidit, uti Deut: 17 ℣, 10. Ubi sub mortis pæna jubet sacerdotis & Pontificis decreto obedire.

Objiciunt 2do ad Gal. 1 ℣, 8 *Sed licet nos aut Angelus de Cælo Evangelizet Vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis, Anathema sit.*

Respondeo, 1mo Hic locus tam est pro traditionibus, quam pro S. scriptura, quia ait Evangelizavimus: id est annunciavimus.

Re-

Resp. 2do: Iſta vox *præterquam* : in quaAcatholici vim ponunt ſignificat, ex Græco *contra* ſic exponunt S. Ambr: Aug: lib 17 contra Fauſtum Hieron: Chryſ: Quare Verborum iſtorum hic ſenſus eſt: Non ſolùm non audiendos, ſed reijciendos eſſe, qui contraria ſuæ doctrinæ, ſive ſcriptæ, ſive viva voce traditæ docuerint, vel etiam qui quomodocunque eam aliter interpretando labefactare præſumpſerint. Tum denique nunquid Evangelium S. Joan: & Apocalypſis poſt hanc S. PauliEpiſtolam ſcripta ſunt, & tamen in his quæ ſcripta in Epiſtola S, Pauli non erant ſcripta: vide Bellarm:

Objiciunt 3 Apoc: 22 ℣, 18. Si quis appoſuerit ad hæc,apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

Reſpondeo. Joannes minatur eis qui Apocalypſim & S. Scripturam aliquid addendo, vel auferendo adulterant, quòd traditiones non faciunt, imo potius explicant,de quo fuſius,Cornel: à Lapide. Ob-

Objiciunt, 4to Matt: 15 ℣, 9 *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* & ver. 6 *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* hic apertè traditiones à Christo Domino prohibentur.

Respondeo, Christus Dominus hic loquitur de traditionibus quas scribæ & Pharisæi Dei præceptis contrarias ponebant, non verò de Divinis vel Apostolicis Dei legi conformibus traditionibus.

Objiciunt, 5to; ad Collos: 2 ℣, 8. *Videte, nequis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum*, hoc in loco Paulus expressè reprobat & condemnat traditiones quascunque humanas.

Resp. Apostolus sicut loquitur de Philosophia quæ Gentilium superstitionibus nititur, ita loquitur de eorundem traditionibus quæ legem Divinam vel directè oppugnant, vel saltem depravant. Vide Cornellium à Lapide & Bellarminum.

Vota

Vota.

QUæres? An vota pia quæ non cadunt sub præceptum Divinum sint licita & grata Deo?

Respondeo, Affirmativè.

Probatur 1*mo* Gen: 28 ℣. 20 Iacob vovit votum dicens. *Si fuerit Deus mecum & custodierit me in via &c. erit mihi Dominus in Deum, & lapis quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque decimas offerram tibi.* Hoc autem votum non fuisse de re præcepta patet quia merè erat condicionatum: *Si fuerit Deus mecum:*

Probaur, 2dò Psal: 131 ℣, 2 *Votum vovit* (David) *Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ, &c. donec inveniam locum Domino.* Scilicet pro templo extruendo. Hoc autem votum non fuisse de re præcepta patet 2 Reg: 7 ℣, 7 & tamen hoc votum gratum erat Deo, ostendit versus 16 ubi, Da-

vidi

vidi propterea Dominus promittit stabilitatem throni, in domo ejus in sempiternum.

Probatur, 3tio Deut 23, ℣, 21, *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tarderis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur Tibi in peccatum, sive vero nolueris polliceri*, (id est vovere) *absque peccato eris*, quia non est præceptum, sed liberum & voluntarium.

Objiciunt, Acatholici asserentes vota quæcunque nisi fiant de rebus à Deo præceptis impia sunt, & nihil ad Dei cultum faciunt, & quidem *imo* adducunt locum S. Script: Psal. 53 ℣, 8. *Voluntariè Sacrificabo tibi*. Ergo non ex voto, quòd necessitatem imponit.

Respondeo, Votum quidem necessitatem videtur imponere, sed non nisi ex suppositione consequenti, non verò antecedenti, sic nimirum homo ante voti castitatis emissionem, liber est nu-

nubere vel non nubere, & si nubat non peccat, si verò jam emisit votum castitatis peccat nubendo: unde, S. Paulus 1 ad Tim: 5 ℣. 11. Scribit *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est voverunt continentiam, & non reddiderunt ait S. Aug: Quapropter etiam cum adimplemus vota nostra, voluntariè sacrificamus Domino, id est adimplemus illa ex suppositione antecedenti, quamvis ex suppositione consequenti post emissionem votorum necessariò illa adimplere cogamur.

Objiciunt, 2do 1 Cor: 7, ℣, 35. Scribit S. Paulus in materia castitatis: *Non ut laqueum vobis inijciam*, quasi dicat: ad continentiam vos exhortor sed non ad Votum, quod velut laqueus cogit.

Respondeo. Si quis temerè ob vanam gloriam vel invitus voveat, potest votum laqueus dici, non autem si li-

libe-

liberè & voluntariè cum recta intentione aliquid Domino Deo voveat, ac promittat.

Quapropter non recta intentione voventes arguit S. Paulus 2 ad Cor: 9 ℣. 7. *Unusquisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ad Philemonem: ℣. 4 scribit, eum instruendo, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

Objiciunt. 3tio Eccl: 5, ℣, 3, *Displicet Deo infidelis & stulta promissio:* qualis est votum continentiæ, cum castitatem ac continentiã nemo potest servare; nisi ex speciali dono Dei, ut habetur sap: 8 ℣. 21. *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.*

Respondeo. Continentia dicitur quidem donum Dei, sed requirens hominis cooperationem: quia licet sine gratia Dei servari non possit, potest tamen cum ea (quam sufficientem nulli unquam negat:) servari & a pluri-

bus servatur; sic de se fatetur S Paulus *datus est mihi stimulus carnis qui me colaphizet, propterea ter Dominum Deum rogavi, ut discederet à me, & dixit mihi Dominus sufficit tibi Paule gratia, nam virtus in infirmitatibus perficitur.* Quare Votum continentiæ non est stulta promissio, aliud enim est, si quis voveret Deo per àérem volare, aut prophetizare, quia donum prophetiæ est donum sine hominis cooperatione.

Ex dictis Collige: Vota Religiosa, Castitatem, Paupertatem, & obedientiam, non esse Deo abominabilia, ut oblatrant Hæretici, sed Deo grata uti consilia Evangelica per scripturam Sacram revelata ac demonstrata.

De VOTO CASTITATIS,

Probatur, 1*mo* Isaiæ 4, ℣, 2. Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego Volui, & tenuerint fædus meum, dabo eis in domo mea locum & nomen melius à filijs filiabus. De continen-

tinen-

tinentibus voluntariè, explicant S. Hieron: Cypri: Aug: Basil. Ambr: Gregorius.

Probatur, 2do Matt: 19 ℣. 10 Dicentibus Judæis *non expedit nubere, ait non omnes capiunt Verbum hoc &c. sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum: qui potest capere capiat.*

Probatur 3tio 1 ad Cor: 7 ℣, 25. *De Virginibus præceptum Domini non habeo consilium autem do, quod vult faciat* & ℣, 7 supra dicit: *Volo enim omnes vos esse, sicut me ipsum Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic permanenant, sicut & ego, quod si non se continent nubant, melius est enim nubere quam uri.*

De VOTO OBEDIENTIÆ.

Probatur. 1mo, Matt 19 ℣, 21. *Si vis* (non cogeris) *perfectus esse &c. Veni sequere me* videlicet obediendo sic ipse Christus Explicat Matt 16 ℣. 24 *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,* renunciando suo judicio, & submittẽdo se judicio alterius, sicut ego qui *fui obe-*

diens

diens usque ad mortem, mortem autem crucis si ergo Christus fuit obediens cur non nos?

Probatur, 2. Jerem. 35 ℣. 8 Laudat Deus Rechabitas quòd obediverint in eis ad quæ præcepto Divino non tenebantur Patri suo Ionadab præcipienti, ne biberent vinum in sempiternum, domus nõ ædificarent, sementem non sererent &c. & remunerat ut rem sibi gratam. Bellarm. per Rechabitas intelligit Religiosos.

De VOTO PAUPERTATIS,

Probatur 1mo Matt 19 ℣. 21. *Si vis* (non præcipio) *perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in Cælo.* Ecce præmium; cur ergo Domino DEO non debeat esse paupertas grata.

Probatur 2do Matt. 19. ℣. 29. Dicenti Petro *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis.* Respondit Christus: *Omnis qui reliquerit domum, vel Fratres, aut sorores, aut Patrem*

aut

aut Matrem, aut Uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.& vitam æternam possidebit. Hæc de consilio, & non de præcepto explicant SS. Patres apud Cornel à Lapide.

Hæc tria vota Acatholici quæ Catholici vocant consilia & opera bona supererogatoria, meram appellant impietatem & superstitionem, quare nec per se meritoria sunt, nec DEO placent, nec à DEO svadentur, imo prohibentur, & adducunt pro suo errore potius quàm sententia locum S. Scripturæ Deut. 4. ℣. 12. *Non addes ad Verbum quod vobis loquor* & Cap. 12 ℣. 32. *Quod præcipio, hoc tantum Domino facito, nec addes:* Imo S Paulus expressè videtur prohibere servare castitatem, scribens 1. ad Tim 5. ℣. 14. *Volo juniores nubere, filios procreare, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Respondeo. Prohibemur ad præcepta addere quod ea corrumpit, uti addebant

bant Pharisæi ad Præceptum DEI, *Diliges proximum tuum*, explicando proximum tuum amicum, & inimicum odio habebis. Tum quia, quis dicat, non licere quidquàm alteri donare, eò quòd tantùm præceptum sit, alteri nihil furari. Tandem ipsemet Christus Dominus superaddidit Consilia Evangelica non homines, quis autem prohibeat legislatori ad leges suas aliquid suadere amplius, quàm quòd legibus est præceptum.

Ad secundum dico: Sanctus Paulus per illa verba: Volo juniores nubere, filios procreare, non absolutè præcipit, sed svadet, si qui contineri non possint, quòd possint nubere, tam masculi, quàm fæmellæ, & idcirco addit 1. ad Corinth. 7mo. ℣. 9. *Melius est enim nubere quàm uri*, Tan-

dem ipſemet Chriſtus Dominus, hæc conſilia propter noſtrum exemplum ſervavit,

FINIS.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H. SS. PP. C. & Venerationem.

APPENDIX

APPENDIX.

Pur-

Errores sic corrige.

Pag. 5 ℣. 11. correptæ, *lege* corruptæ
Pag 15, ℣. 15. inquitatibus, *lege* iniquitatibus
Pag. 17. ℣. 2 & Pag. 26, ℣. 22. ℟: *lege* ℣
Pag 23. ℣ 10 unicuiqne, *lege* unicuique
Pag. 32 ℣. 16. inestigatione, *lege* investigatione.
Pag. 34. ℣. 2. decet, *lege* docet.
Pag. 37, ℣. 8. constituissint, *lege* constituissent.
Ibidem ℣. 18 Gracus, *lege* Græcus.
Pag. 41. ℣. 4 & pag. 65. ℣. 1. Ojiciunt *lege* Objiciunt.
Pag. 44. ℣. 22. culu, *lege* cultu.
Pag. 148, ℣. 10. Uuusquisquis, *lege* Unusquisque,